7
15-b
8

6
34 ML
48

15-Б-8

Digitized by Google

111 K 43

Digitized by Google

SACRÆ IMAGINIS
DEIPARÆ
VIRGINIS,
PROPE MONTEM REGALEM
IN SVBALPINIS MIRACVLIS

coruſcantis Hiſtoria.

AVTHORE DOMNO PHILIPPO
A SANCTO IOANNE BAPTISTA,
Aſtenſi & Monacho Ciſtercienſi
Congregationis Fulienſis.



La vraie effigie de noſtre Dame de Mondoui.
La vera imagine de la Madonna Santiſsima di Mondoui a Vico.
Picquet incidit.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LVTETIÆ PARISIORVM,
Apud IOANNEM DE HEVQVEVILLE, viâ Iacobæâ, ad inſigne Pacis.

M. DC. XXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAROLO EMANVELI
ALLOBROGVM
SERENISSIMO DVCI,

Subalpinorum Auguſtiſſimo Principi,

Comitiq; Aſtenſium inuictiſſimo, &c.

F. PHILIPPVS MALABAILA ASTENSIS,
Ciſtercienſiſq; Monachus Congregationis Fulienſis,
Salutem ab eo, qui dat ſalutem Regibus.

BIBLIOTECA … ROMA

QVANTOPERE DEO OPTIMO MAXIMO fœcundæ Virginis gloria, eidem Virgini humani generis ſalus cordi ſit, Religioſiſſime Princeps, & ante ab omnibus animaduerti potuit, & nunc maximè, ex quo eiuſdem Virginis Beatiſſimæ Imago propè Montem-regalem ijs miraculis coruſcare cœpit, quæ magnitudine ſua nihil non eius precibus impetrabile, multitudine item ſua ipſius miſericordiæ ſinum omnibus patere admonerent. Quæ ſicut in Tuæ Celſitudinis, tuorumq; gratiam potiſſimùm eueniſſe par eſt credere; Ita minimè addubitari licet, quin tibi pergratum ſit futurum, ſi illorum memoriæ conſulatur, quæ nos vidimus & cognouimus ea, & patres noſtri, qui primi locum hunc incoluere, narrauerunt nobis. Ne occultentur, ſcilicet, in generatione altera: Sed filij qui na-

Digitized by Google

ſcentur & exurgent, narrare poſsint filijs ſuis laudes Domini, & virtutes eius, & mirabilia quæ fecit, Te Principe, Beata Virgo. Vt ponant in ea: ſecundũ Deum ſpem ſuam, & non obliuiſcantur opera illius, & mandata Dei exquirant. Ad quod cũ miracula, quæ perpetuò renunciabantur, me tertio ab hinc anno inibi agentem cõcitaſſent, (exiſtimantem nempe huius loci non tam cultum, quàm famam noſtris abs te fuiſſe commendatã) metum tamen pigritiamq; incuſsit cùm ipſa rei magnitudo, (quæ perito cuiuis & otioſo hiſtorico, nedum rudi & occupato, negotium faceſſere poſſet) tum opinio vulgata de eo Principe, ſub cuius ditione locum deligens Beata Virgo, eiuſdem iuri ac patrocinio omnia quæ ad eum pertinerent, ſubieciſſe videtur. De eo namq; Principe id omnibus eſt perſuaſum, bellicæ artis ita primam gloriam adeptum, vt tamen & ingenij perſpicacitate nulli ſit ſecundus, & dicendi facultate ipſoſmet ſuperet oratores. Sed cum alibi agens maius aliquantò otium (& ad hoc ipſum fortaſsis) nactus eſſem, ſimulq; intelligerem, ad cæteras artes quibus humani generis hoſtis diuina hæc opera infamare eſt conatus, hanc etiam adieciſſe; vt quia in lucem typis excuſa non prodibant, ad ea pro vanis habenda plurimos incitaret, perinde ac illis congrueret quod ait Saluator: Omnis qui malè agit odit lucem: nihil prolatandũ duxi, quin

pro-

Digitized by Google

propriæ exiſtimationis poſthabita ratione, (vbi Beatæ Virginis ac ipſius Dei gloria in diſcrimen adducebatur,) tantarum rerum memoriæ pro virili parte conſulere pergerem: Sicq; eidem illi confiſus ſententiæ, quæ ſubditur: Qui autem facit veritaté venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius, quia in Deo ſunt facta: *multiformis proditoris artem arte fallerem. Exeat proinde Tuæ Celſitudinis nomine inſignita Beatæ Mariæ Montiſregalenſis hiſtoria, vel ex hoc læta fœlixq;, quod tanti Principis non patrocinio magis, quàm teſtimonio tueri ſe poſsit. Ne locus autem ipſe vllo vnquã tempore minor re ſit, quam fama, tuo illo, quo ſub initium abs te eſt cultus, quodq; perpetua bella retardarunt, renouato ſtudio, eius pacis, quã B. Virginis precibus fers acceptam, fructus tandem & ipſe ſentiat. Tuaq; ſingularis in eandem Virginem pietas erga hanc Imaginem in primis effulgeat, è qua tibi pacis ſalutiſq; omen effulſit. Faxit porrò Deus, vt qua protegente Res tua tandiù, totq; machinis oppugnata ſtetit, eadem intercedente & hîc diù ac fœliciter in tuos, & in cœlis beatè cum Deo regnes in æternum. Ex noſtro Sancti Bernardi propè Ianuam Cœnobio Kalendis Maij, 1620.*

Digitized by Google

PERMISSIO ADMODVM R. P. Generalis Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis.

NOs F. HILARIVS à Sancto Io. Baptiſta Superior Generalis Congregationis Beatæ Mariæ Fulienſis Ordinis Ciſtercienſis licentiam concedimus Domino PHILIPPO à S. IOANNE BAPTISTA Congregationis noſtræ Monacho & Sacerdoti, vt librum qui inſcribitur, *Sacra Imaginis B. Virginis, &c.* quem compoſuit, poſſit in lucem edere; præuia tamen debita approbatione. In quorum fidem preſentes proprio ſigno & Officij noſtri ſigillo munitas dedimus. In Monaſterio noſtro B. Mariæ de Pinerolio 4. Idus Iunij, anno à virginis partu milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo.

F. HILARIVS à Sancto Io. Baptiſta Superior Generalis Præfatus.

NOs ſubſignati Doctores Sorbonici in ſacra facultate Theologię certum facimus perlegiſſe, ac diligenter recognouiſſe preſentem libellum, cui titulus eſt, *Sacra Imaginis Deiparæ Virginis prope Montem-Regalem in Subalpinis miraculis coruſcantis Hiſtoria; Authore D. Philippo a Sancto Ioanne Baptiſta, &c.* Nihilque in eo repeſiſſe, quod non ſit orthodoxum, & conforme doctrinæ totius Eccleſiæ Catholicæ, Apoſtolicæ, & Romanæ: eumque valdè dignum iudicamus, qui ad boni publici vtilitatem, Dei, ac Beatę Virginis gloriam, & Eccleſiæ ſplendorem in apertum prodeat. Factum Pariſijs in Muſeolis noſtris Die 12. Menſ. Februarij, anno à Natiuitate Christi Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo.

A SOTO.

F. EVSTACHIVS *à Sancto Paulo è Congregatione Fulienſi: dictus in ſæculo Anſelme.*



Digitized by Google

DESCRIPTIO
LOCI ET SACRAE
Imaginis.

CAPVT I.

MVLTIFARIAM multiſq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, illius Virginis, quæ aliquando filium ſuum deſideratum cunctis gentibus erat paritura, dignitatem ac merita exponendo, quanto in pretio apud ſe eſſet futura haud dubiè ſignificauit. Multifariam præterea, multiſque modis innouans identidem ſigna, & immutans mirabilia in eorum gratiam, qui dulciſſimum Mariæ nomen inuocarent, ad venerationem quarundam illius imaginum, quibus antea nullus honos habebatur, circumjacentes prouincias ac remotiores etiam quandoque exciuit: nouiſſime tamen diebus iſtis hoc ipſum præſtitit, tanto cum populorum concurſu, tanto cum gratiarum ac miraculorum numero, tanta denique orbis terrarum admiratione, apud eum locum, qui Beata Virgo de vico ſeu de Mondoui vulgo dicitur (quam vrbem montem regalem latinè appellant) vt nulli dubium eſſe poſſit quin eam imaginem voluerit maxima religione coli, quam ad tam mira edenda delegit, & quin operæpretium ſit facturus,

Digitized by Google

qui tantæ rei memoriam poſteritati mandarit. Etenim (vt dixit Angelus ad Thobiam) *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt : opera autem Dei reuelare & confiteri honorificum eſt.* Hoc præſertim tempore quo abundante iniquitate refriguit charitas: & quo deficientibus Sanctis diminutæ ſunt veritates à filijs hominum: tot prouincijs ad hæreſim delapſis, & venerationem ſacrarum Imaginum, Sanctorũ inuocationem, Litanias. ſeu publicas ſupplicationes, peregrinationes ad celebriora templa, cæteraſque eccleſiaſticas traditiones improbantibus. Quamobrem etſi lateant diuina miſteria, nec facile iuxta ſapientis dictum, quiſquam hominum ſcire poſſit conſilium Dei: Tamen ex illius prouidentia in Eccleſia protegenda, & in hæreſum zizanijs euellendis, poſſumus intelligere hoc propenſioris fuiſſe conſilij, vt is potiſſimum locus deligeretur, qui ab omni huiuſcemodi errore cum ſit immunis, eo quo decet cultu poſſet a pijs frequentari. cumque idem ſit jis regionibus finitimus, quæ hære ſibus ſubjacẽt, propinquitas ipſa omnem Sectarijs ignorantiæ vel minus certæ fidei, demeret excuſationem. Sita namque eſt vrbs Montis-regalis in ea Italiæ parte, quæ vulgo Pedemontium dicitur: ſi hæc vox latiori ſuo ſignificatu vſurpetur, vt ſignificet, ſcilicet quidquid loci intra Italiam Allobrogum Duci patet. Extrema vtique pars Galliæ Ciſalpinæ occiduis ſubjecta Alpibus, qua Galliarum Regis, qua Allobrogum Ducis, qua Helueticarum Ciuitatum regimini parentibus, ac Caluini Waldenſium & Zuinglij erroribus imbutis.

Cæterum Vrbs ipſa Montis-regalis ad meridiem ipſum Pedemontium claudit, vt pote ad Apen-

ninum,ac maritimam Liguriam pertinens:nam quæ Latinis eſt mediterranea Liguria,quæque hodie vulgari ſermone Langa dicitur,corrupta ſcilicet Ligurię antiqua voce,ad Orientem æſtiualem eidem vrbi adiacet,qua parte Tanagro fluuio eius fines alluuntur. Cum ea demum loca in mediterranea Liguria recenſeantur, quæ vltra Tanagrum ſunt. Quamquam, ſi Ptolomæo credatur,plurima alia illi eſſent adſcribēda, quæ inter Tanagrum Padumque media regione conſiſtunt,vt Aſta colonia, ~~Alba, Pompeia~~, Potentia celebris olim vrbs,nunc caſtri nomen vix retinens;& hæc de qua loquimur Mons regalis, Vrbs ſi non ædificijs, nec antiquitate, nec agri vbertate; clementia tamen cœli,ingeniorum feracitate,& incolarum frequentia nulli in Subalpinis ſecunda; ſuper triginta incolarum millia in ea cenſentur. Ciues inſignes protulit, quos ad ſummos honores alios Iuriſprudentia, alios in rebus gerendis ſolertia,alios ars militaris euexit. Epiſcopos illuſtriſſimos habuit,& in eis Cardinalem Alexandrinum,qui Pontificiam Sedem adeptus, Pij quinti nomen adſciuit. Verum haud ante annum 1384. à Virginis partu Ciuitatis nomine,ſeu Epiſcopali dignitate inſignita fuit Vrbani ſexti cōceſſione, cum antea Aſtenſi Epiſcopo pareret. Agri pars quædam fertilis, videlicet quæ ima eſt & plana, ac reliquo pedemontio cohærens, quæ ad meridiem verſa, ſi propinquiora vrbis excipias (quæ ita ſunt vinetis conſita,vt ab vitibus ipſi Vrbi,ac Monti nomen factum eſſe non falſa coniectura affirmari poſſit) ea omnis frigida & aſpera plaga eſt, caſtanetis duntaxat apta. Ædificiis nequaquam inter ſe cohæret, ſed vicatim habitatur in quatuor aut quinque partes haud continen-

tes diuiſa, quarum præcipua Monti, qui montis nomen Vrbi dedit inſidet, & Platea dicitur; reliquæ ad radices ſitæ eiuſdem montis, qui in planitiem deſinit & flumine Elle alluitur, qui ex Apennino fluens, qua parte ab Alpibus iam eſt diſterminatus, in Tanagrum amnem ingreditur.

Vna duntaxat ipſius vrbis pars cæteris remotior in protenſo ſita colle Vicus propriè dicitur, in tres & ipſa minores Vicos diuiſa, ita vt eius ædificia (quingentæ circiter domus ſunt,) & dimidij circi ſpeciem referant. Huic oppido medio, qua Ianuenſis decurrit via, imminebat patrum memoria arx munitiſſima ſed è cœlo fulmine icta, & à fundamentis diruta, haud ita multo poſtquam à Gallis extructa fuerat ad hæc tuenda loca, quæ Carolo ſecundo Sabaudiæ Duci, quod Carolo quinto Imperatori ſtuderet, armis eripuerant. cuius rei mentionem fecimus, quia ea vna ratio affertur ab propioribus ætate memoriæ rerum, cur ea columna ſeu pila ædificata fuerit, pictaue Imago de qua agere inſtituimus. Conſentiens ſiquidem eſt apud eos fama, dum cura Caroli Droſij Gallorum præfecti ea arx ædificaretur, multas conſtructas fuiſſe fornaces, quæ laterum materiam affatim præberent operi perficiundo in ea valle, quæ meridiem verſus ei tumulo ſubjacet, in quo ſitus eſt Vicus medius. Opificum quidam dum lateribus conficiendis incumberet, ac non ſemel fornaci igne admoto, omnis conatus & impenſa in irritum cederet, lateribus minimè ad votum excoctis, vel non ſatis cohærentibus, deſponderat animum, cum ad eum accedens puella ipſius opificis filia retulit, viſam abſe mulierem pulchriorem, auguſtioremque, quàm ipſe

fert humanus habitus, dicentem lateres, vt cuperet coctum iri, ſi ipſe pater ædificaturum ſe pilam voueret, in qua beatæ Virginis Imaginem depingi curaret: fidem adhibet pater, votum concipit, ſtatimque voti compos efficitur, lateribus in poſterum ad votum excoctis, ex quibus, vt voto ſe exolueret, pilam quantocius more quodam Gentis conſtruendam ac pingendam curauit. inter cætera ſi quidem Chriſtianæ pietatis ac deuotionis erga Beatam Virginem monumenta, quæ in Subalpinis viſuntur, illud minime eſt cótemnendum, quod ad viatorum ſeu agreſtium, pietatem excitandam, in publicis viis, & in compitis ferme plurima extant Sacella, plurimæ item pilæ beatæ Virgini in primis dicatæ, eiuſdemque ac aliorum Sanctorum, pro vario ædificantium ſtudio, Imaginibus exornatæ. Hunc igitur in morem perque hanc occaſioné extructa pictaq; pila, quæ tot deinde gratijs ac portentis fuit celebrata, vulgo fertur: quæ res quoniam litterarum monimentis non eſt tradita, nec pro certo affirmata, mea opinione ſit nec pro vana omiſſa. Quamquam vt fide dignior hæc fama ſit, non parum momenti afferat, quod dum fornacibus, in vſum nouæ Eccleſiæ locus quæreretur, & egeſta humo haud procul ab ipſa pila veteres fornaces lateribus plenæ ſunt inuentæ, ac in vna earum membrana ſcripta, quæ licet vetuſtate & ſitu ita eſſet obliterata, vt legi minime potuerit, ea tamen omnium coniectura fuit, vt in illa occaſionem eius Imaginis pingendæ crederent conſcriptam. nec abhorret à cætera fide, quod ea Imago à gratiarum collatione ſumpſerit initium, quæ tot deinde gratijs coruſcauit. Idonæos etiam authores habeo, ipſam imaginem, dum inter

perpetuo ſuccreſcentes vepres, & alia quibus inculta fere veſtiuntur, deliteſceret, omnium oculos ac animos mirum in modum attraxiſſe: vt qui præter eam tranſirent, etiam poſtquam digreſſi eſſent, ne rurſus conuerſi illā quandiu poſſent eminus proſpectarent, ſibi temperare nequirent: iam tum inſidentis vim numinis quod aliquando manifeſtiora ſuæ præſentiæ ſigna editurum erat præſentientes, Deo ipſo vtique corda hominum illic defigente, vbi tantus latebat gratiarum theſaurus.

LATERITIÆ porro pilæ huius altitudo duodecim palmorum, latitudo bipedalis: qua parte ad orientem brumalem vergit auguſtiſsimæ Virginis præ ſe fert Imaginem facie ad filium, quem dextro ſuſtentat brachio deprecantis in morem leuiter inclinata. Namque filij manus in cœlum intenta ipſum refert, in diebus carnis ſuæ (vt eſt apud Paulum) preces ſupplicationeſq; cum clamore valido & lachrymis, hortatu matris ad patrem offerentem, exaudiendum vtique pro ſua reuerentia. vt ipſa ſcilicet Imaginis ſpecies (ne dum miracula ex ea coruſcantia) obmuteſcere faciat imprudentium hominum ignorantiam, qui non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant Catholicorum pietatem in Beatam Virginem idololatriæ inſimulant, perinde ac eam, non, vt præcipuam mediatricem ad filium, ſed vt alterum Deum veneremur. Virginis amictus duplex, exterior quidem quo caput etiam velatur cærulei coloris: interior coccinei: pueri imago bimuli ætatem præ ſe fert, cuius corpus ſicut & Virginis totum extat. nullo ornamento pila ipſa decoratur ſed ſimplex eſt & plana, niſi quod quantum occu-

pat ſpatij pictura introrſum reſilit: eius pictorem Seguranum Signam quidam ferunt, ſed inter cætera vetuſtate incomperta, hoc quoque (quod nec operæ pretium ſit diſquirere) in incerto poſitum ſit.
In ventre Virginis ictus plumbeæ glandis cernitur ex ſclopo ab imprudente iuuene exploſæ, dum in auiculam, quæ inter vepres ſacram pilam obſidentes forte conſtiterat, ictum direxiſſet, ex quo loco ſanguinem tum fluxiſſe fama vulgauit: Potiores tamen apud me authores ſunt qui hoc ipſum inter ea habendũ cenſent: quæ motis ſemel religione animis, imperitum vulgus commiſcere ſolet, dæmone vtique adnitente, vt falſorum renunciatione vera miracula ſuſpecta faciat. Tecti, quod ſatis erat ad arcendam pluuiam pilæ impoſitum, anterioris partis proſpectus (vbi ſcilicet imago picta) in ortum brumalem: qua parte & è regione ipſius imaginis aſſurgit collis; qui in plures diuiſus tumulos leuiter accliues, plures ac amœnas ex parte orientali efformat valliculas. Ab Septentrione pila ipſa collis alterius imæ radici inſidet, qui paulatim aſſurgens, vſque ad vicum medium protenditur. Quod oppidum, vt præfati ſumus, in alio perpetuo colle ſemicircularis formæ eſt ſitum, qui intercurrente hoc colle, ad ſacram pilam pertinente, duas efficit valles vtraſque in pilam ipſam deſinentes, ibi ſimul iunctæ in latiorem deinde vallẽ excurrunt, per quam mediam fertur riuulus ab ortu æſtiuo ad Hybernum occaſum, ab incolis Ermena dictus. Quemadmodum autem plures ad ipſam pilam conueniunt valles ita etiam ad eam plures terminantur viæ velut ad centrum; diceres id loci delectum, vt quaſi in theatrum omni ex parte ab impendentibus & leniter decliuis

collibus proſpectus pateret. Diſtat porro à Platea vrbis Montis-regalis præcipua parte paſſus mille quingentos vel circa.

SACRÆ IMAGINIS colendæ initium.

CAP. II.

CVM illud ſatis compertum ſit, ab nonnullis miraculis (ſiue gratijs) huius Imaginis cultum duxiſſe principium, mihi tamen in incerto relictum, quęnam propriè illa miracula fuerint (quãquam enim plurima per id tempus vulgi ſint iactata ſermonibus) ea tamẽ cum Notariorum opera ad certũ non fuerint redacta, ne cuius vani aut incerti author ſim prudẽs omittam, nec quicquam poſteris tradam, quod plus famæ habeat quàm fidei. Vt igitur inde exordiar vnde res conſtare cœperunt.

ANNO 1594. ineunte vere, eorum opera, qui cum à Beata Virgine ante hanc ſacram Imaginem ſupplicantes opem imploraſſent, voti compotes facti fuerant, ipſamet imago in ora hominum potiſſimum abire cœpit, ſed prę cęteris Cęſarem quemdam Trombettam in Diaconatu tum conſtitutum, tantus huius cultus promouendi ardor inceſſit, vt quãquam non omnimodam fidem haberet ijs quæ vulgo ferebantur; tamen vel ex hoc vno conijceret aliquid magnum prędeſtinaſſe Deum de ea imagine, quod ad illius cultum adeo accenſis ſtimulis ſe ſentiebat incitari: neque interdiu neque noctu ab ea cogitatione animum

mum

Digitized by Google

mum auertere poterat, poſthabita omnia, domeſtica cura refri[illegible] litterarum ſtudium, reiecta quæuis alia ſolicitudo id vnum animo voluebat, qua ratione cultum huius imaginis promouere poſſet; & diuinatio quædam futuri quominus ratio tanti ardoris reddi poterat, & opportune maiorem inferebat zelum, & quando nihil aliud dabatur, vepreta, quibus vndique ſepta erat imago illius (quæ lilium inter ſpinas in ſa- *Cant. 1.* cris canticis prædicatur) ſuis manibus truncare cœpit, vt propius accedere, & preces fundere ad eam commodius liceret, nec id inutile fuit, quam pietatem tranſeuntes in eam antea frequenti conuerſione teſtabantur, tum venerando, et longius etiam ante eam orando effundere occœpere: Quæ res cum ipſi Cæſari animos addidiſſet, in ſpem venit ſacelli circa eam conſtruendi, oppidanos itaque circuire, & ad opem ferendam accolas cohortari eſt aggreſſus, idque ſucceſſu admirabili. Cum mirabilia quædam à fide dignis accepta ad eos permouendos prædicaret, ipſe multo plura ac mirabiliora alia ab aliis, qui ſeſe illi commendantes diuinam opem per Virginis interceſſionem fuerant experti, hic illic intellexit, cuius rei occaſio hæc maximè fuit. Æſtate illa inter accolas loci malignæ febres vulgo ingruerant, à quibus, vt liberarentur ægroti mulieres quamplurimæ velut ex compoſito viſitandi ſacram pilam, eam ſiue continuatis orbibus circuire, ſiue per nouem dies ſalutare vouerant, non irrita ſane fiducia. Paſſim ex inſperato conualeſcebant ægroti, ex quo non parum reuerentiæ ſacræ pilæ ſuperadditum eſt: cum igitur quæ iam comperta erant peruulgarentur, & noua in dies adiicerentur miracula, de obtinenda facultate conſtruendi

Digitized by Google

Sacelli init conſilium.

Erat tunc temporis Montiſregalis Epiſcopus Ioannes Antonius Caſtruccius, vir litteris & multarum rerum vſu præditus, ac nouantibus minime opportunus; is vbi quæ vulgabantur percepiſſet (iam enim impenſam ſuam voluntatem in ſacram pilam Vicenſes nudabant) vicarium ſuum in ſpiritualibus Ioannem Graſſum Cathedralis Eccleſiæ Archidiaconum, illuc delegat, vt, quid rei eſſet, diligẽter exploret ac ad ſe referat, quo cuiuis errori vulgi maturius obuiam ire poſſet; fecit vicarius imperata: adhibitis ſacris ac doctis viris locum perluſtrauit. Quæ ibi agerentur certius cognouit, quæ prædicarentur à teſtibus adactis Sacramẽto audiuit: Nihil omnino quod erroris ſpeciem præ ſe ferret offendit, nullamue cauſam denegandi Sacelli ſubeſſe perſenſit; locus per ſe opportunus viſus, ad prætereuntium pietatem excitandam, cultus qui adhibebatur Eccleſiaſticis traditionibus nihil repugnans. Nouenarum in primis vſus qui maxime in colendo loco eſt adhibitus ſpiritualibus nititur arcanis, quæ nos myſteria dicimus. Per eos enim nouenos orbes vel per nouendiale ſacrum, quod multi apud ſacram ædem inſtituunt, nouenos menſes recolere ac recolendo venerari intendimus, quibus Beata Virgo detulit Chriſtum, ex quo reliqua omnis eius dignitas ortum habet: Nec deſunt qui per eos nouenos orbes, vel nouenos dies honorem eum recoli velint, qui ab angelorum nouenis ordinibus ei defertur. Adde quod per nouenarium numerũ, qui ex trino tertiò repetito coaleſcit, triplex genus prerogatiuarum ſignificari haud incongruè poteſt; ſiquidẽ inuenire eſt in Maria, ait Sanctus Pater Bernardus, præ-

Serm. de ver. Apoſt.

rogatiuas cœli, prærogatiuas cordis, prærogatiuas carnis, in quarum ſingulis tres iterum prærogatiuæ præcipuæ maxime elucent. In cœli quidem, quod ipſius Dei Mater, quod Angelorum Regina, quod humani generis ſedeat patrona; in cordis vero quod ab omni contaminatione pura, quod gratia plena, quod omnibus virtutibus exornata. In carnis denique, quod virginitatis primiceria; quod virgo ſimul & mater intacta, quod poſt mortem rediuiua in cœlum aſſumpta, nec ipſe circuitus myſterio vacat, imo vero circuitum illum in mentem reuocat de quo Hieremias, *Nouum creauit Deus ſuper terram fœmina circundabit virum*. De quo item Eccleſiaſticus. *Gyrum cœli circuiui ſola*, quia ipſa ſola cœli ambitum circuiſſe cenſenda quę intra ſua viſcera illum concluſum tenuit, in quo cœli cœlorum & omne creatum continetur, porro nihil detrahit huic ritui authoritatis, quod eundem Gentiles in ſuis diis colendis adhibuerint: quemadmodum enim multa olim permittebat Deus, ex quibus cultus falſorum Deorum quodammodo comprobari videri poſſet, quia quantumlibet per ſe prorſus improbandus eſſet, is tamen aliquanto tolerabilior erat, quàm ſi omni ritu abiecto cunctam religionem exuiſſent: ſic multa etiam vſurpari ab eorum ſacrificulis & cultoribus paſſus eſt, quæ deinde eſſent ad ſacros ritus transferenda: vt iis aſſueti populi gentiles (ex quibus potiſſimum coaluit Eccleſia) propenſiori cura ea frequentarent; hinc aquæ luſtralis, næuiarumque ac facularum vſus, hinc anniuerſarij dies, hinc ſtata ieiunia, hinc ſupplicationes, hinc plurimi alij ritus ab iis vſurpati, quos Eccleſia aliquando in ſacris ſuis eſſet vindicatura. Hinc denique ipſum nouendiale ſacrum.

Hiere. 31
Eccl. 24.

Digitized by Google

quod vocabant Romanis hiſtoriis celebratum, nuncque ad honorem præcipuè fœcundæ Virginis, ſicut tunc ad honorem magnæ Matris renouatum, cuius explicatio abſtulit me velut de ſpatio, non quia operæ ſit hæc perſequi; ſed vt appareat, cur húc ipſum ritum locú viſitans minime improbarit vicarius, qui omnibus exploratis ac perluſtratis ad Epiſcopum ſingula retulit. Vicenſes, etſi quod percupiebant à vicario non impetraſſent, cum tamen quidnam de loci veneratione promouenda in animo gereret ex verbis eius ſatis collegiſſent, ſpem ipſam pro re gerentes ipſum Epiſcopum adierunt, & ſupplici libello porrecto, quod percupiebant, impetrarunt. Aſſeruatur etiam nunc in noſtri cœnobij archiuis is libellus ſupplex, & quod tum retulerunt reſcriptum; vtrumque autem hic totidem verbis referre non abs re erit.

PERILLVSTRIS. ET Reuerendiſſime Domine Antiſtes.

EXPONVNT homines, & vniuerſitas loci Vici, fuiſſe ab immemoriali tempore citra depictam imaginem Beatæ Mariæ Virginis, in quodam pariete conſtructo in finibus eiuſdem loci, loco dicto ad Pilonum. Cupiuntque dicti homines & vniuerſitas ibi ſacellum ſeu capellam conſtruere, ad honorem prædictæ Beatæ Mariæ Virginis, ex quo ad dictum locum multi concurrunt, vt augeatur fides credentium in Domino, & præſertim ſtante viſitatione dicti loci à multum magnifico, & reuerendo Domino veſtri in ſpiritualibus Vi-

Digitized by Google

cario cum interuentu Reuerendorũ Curatorum eiuſdem loci,& aliorum particularium, qui conſtructioni eiuſdem capellæ aſſentiunt: ideo humiliter ſupplicant præfatam perilluſtrem, & reuerendiſſimam Dominationem veſtram, vt dignetur ſibi licentiam impertiri de procedendo ad ædificationem ſeu conſtructionem dictæ capellæ & altaris, aliorumque neceſſariorum pro cultu diuino, & vt melius, &c. Ioannes Antonius Caſtruccius Dei,& Apoſtolicæ ſedis gratia Epiſcopus Montiſ-regalis,& Comes. Vniuerſis & ſingulis præſentes noſtras inſpecturis notum facimus & manifeſtum, quemadmodum nos viſa ſubannexa ſupplicatione illi annuentes piumq; ac ſalutare ipſorum ſupplicantium propoſitum fauore beneuolo proſequi cupientes, ipſis per has noſtras litteras licentiam & facultatem impertimur, conſtrui, curãdi,& faciendi oratorium vnum, ſeu Sacellum cum altari & fornice deſuper in loco ſupplicato: quod ſartum tectum, & perpetuo reparatum eorũ ſumptibus & expenſis ſemper ſit, debitæ capacitatis & magnitudinis ad menſuram ſaltem ipſis traditam; altare autem ſic ornetur & prouideatur ad formã à conſtitutionibus præſcriptã. Imagines vero Sanctorum nõ ibi pingantur, niſi prius à nobis probatæ ſint, vt ritè piéque id fiat, ad quod altare ſic conſtructum celebrari Miſſæ Sacrificium permittimus, poſtquam à nobis vel à Reuerendo Vicario noſtro Generali viſitatum fuerit & probatum, non autem prius; datum in Monte-regali die duodecima Septembris, anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quarto. *De Meglioris.*

HAC impetrata facultate, ingenti & in præſens lætitia, & in futurum ſpe ad conſtructionem Sacelli

omnis Vicenſium cura conuerſa adhortante in primis Cæſare Trombetta, vt viri cognomini nouum munus reſponderet. Trombettam ſiquidem tibicinem Itali vocant, quem de pietate ſuorum concepta ſpes minime fefellit, pro ſe quiſque aliquid conferre, pecuniam locupletiores, alij frumentum, caſtaneas alij aliaſue res dictu paruas, ſed quas largientiũ inopia faceret argumentum ingentis pietatis, nec deerant qui lapides, ligna, cœmentum, aliave in proprium vſum comparata conueherent, ex quo in ſpem venerunt ſacellum longe amplius, quàm antea animo deſtinaſſent conſtruendi: inter hæc præter alia, quæ plurimi in ſe experiebantur, diuinæ virtutis hoc opus promouentis argumenta in numerum gratiarum vel miraculorum relata, quædam contingebant per ſe quidem parua, cæterum quæ non parum auxerint ſacellum ædificantium ſtudia: memorabile ſcribenti illud videri poteſt, quod cum plurimis per eos dies caſtaneas colligentibus & domum comportantibus, propter ſacram pilam tranſitus eſſet, pro ſe quiſque ex iis, qui plus, qui minus Beatæ Virgini offerebant, ac in terram nullo cuſtodiente prope ipſam pilam demittebant, vagabantur circa illam perpetuo greges porcorũ, qui cum cibum, quo maximè delectantur, præ ſe haberent, hactenus ſe temperarunt, vt ab eorum cuſtodibus primùm tum ab aliis res ſit animaduerſa, ac in p[illegible]men futuræ religionis loci accepta. Illud etiam ad memoriam inſigne videtur eorum, qui ædificando Sacello præerant: vnus erat Vincentius Signa vir inter ſuos ſpectatæ probitatis, hic Antonio Caguino medico, & Bartholomæo Marchiſio, qui ædificij viſendi gratia eo aduentarant, annulum aureum, in quo gemma erat

rubei coloris oſtendit, quem eodem prope tempore oblatum fuiſſe Beatæ Virgini affirmabat, cumque illi diceret ſatius fore ſi venderetur, & quod inde redactū eſſet in ſtructurā Sacelli impenderetur, id neutiquam fieri poſſe reſpondit: quòd fœmina quæ illud obtulerat, hoc cauiſſet, affirmans, poſt paucos menſes eam pilam gemmis & auro opertum & exornatum iri. Percunctantibus illis quænam eſſet mulier, vbi eam ſibi ignotam, & eo ipſo tempore ex loco abſceſſiſſe dixiſſet: de ea quærere cœperunt, cum non reperiſſent in prodigium verſum id quoque tum maxime cum prædictioni res ipſa reſpondit. Illud vero etiam magis celebre fuit, quod non modo integræ ſocietati aliquando, ſed aliis etiam peregrinantibus auerſis ab itinere, inter nocturnas tenebras cœleſte lumen affulgens per multam viam, itineris ducem ſe præbuit.

Sed nihil aliud ædificantium ſtudia magis accendebat, ac frequentia mortalium ſacram imaginem inuiſentium nouaq; miracula, vel gratias perpetuo nunciantium; ex quo ſacellum ipſum perficere maturabant, quod tamen minime ſucceſſit iam appetente hyeme, quæ in ea valle adeo inhorreſcit, vt non modo conſtructionem omnem prohibeat in præſenti, ſed niſi durata ſint cæmenta, non probè exſiccatos parietes etiam diſſoluat. Superſedendum igitur rati, cum ad parietes ipſos tuendos qui decem circiter palmos extabant, quingentæ tegulæ, quas ad id argento pararant non ſufficerent, Vicenſes ipſi detractas è tectis ſuarum domorum, qui vnam, qui plures alacriter offerentes nouæ pietatis ſpecimen præbuere.

Digitized by Google

AVGETVR LOCI celebritas.

CAPVT III.

VBI per frigora licuit, cœptum opus promouere ac perficere ſunt aggreſſi, & facili negotio abſoluiſſent ni inuiſentium frequentia fuiſſet impedimento; ea enim vere primo adeo in immenſum creuit, vt in contemplationem tanti miraculi omnes erigerentur; qua re excitus Epiſcopus, qui ne leuitate populorum permoueri videretur, quamquam haud intacto religione animo, ab inuiſendo loco hactenus ſe temperarat, quo melius de re tota determinare, eique maturiùs proſpicere poſſet, illò ſe contulit: gubernator vrbis Scipio Bagnaſchi Marchio, is erat ex nobiliſſima Carettorum familia, & primariis quibuſque viris ſtipatus, iam enim non ſolum incolæ vici, ſed etiam accolæ propinquorum locorum eò & ſinguli & turmatim aduentabant, verum ex remotioribus etiam oppidis prope continuato agmine innumera multitudo confluebat; quorum plurimi, qui ſcilicet in aliquam ſocietatem diſciplinatorum nomen dederant, variorum colorum lineis induti, prælatis crucibus & vexillis, binis vel quaternis in ordinem viris, longo agmine veniebāt, quodque magis Epiſcopum permouit veritum ne errori cuipiam pararetur via, niſi occurrere maturaſſet: iam plurima miracula vulgabantur, iam plurimæ tabellæ in teſtimonium acceptæ gratiæ afferebantur. Eò igitur adueniens, ſub exitum menſis Maij anni 1595. imperat

perat, vt ab ædificatione ceſſetur, capſulam in quam coniiciebantur eleemoſynæ amoueri, altare omnino denudari, lumina extingui, tabellas è muris iubet detrahi & in illam Gamalielis vocem prorumpit, ſi eſt aut ex hominibus conſilium hoc, aut opus omnino eſt diſſoluendum; ſi vero ex Deo eſt, non poterit vtique diſſolui. In genua tamen procumbit, ne Imagini minus quā par eſſet deferre videretur, idē omnes circumſtātes faciunt. Surgens deinde Pontifex ad gubernatorem conuerſus: videre iam videor, inquit, locum hūc toto orbe celebrandum fore: cui gubernator; ego vero neſcio quid in me ſenſi, quod me totum horrore perfundit. Fremitus ortus, cum aſſenſu, deinde vniuerſorum voces, vt cœptum opus promoueretur, petentium in vnum confuſæ dicentem interpellarunt. Epiſcopus tamen nihil de inſtituta ſeueritate remiſit. Omnem cultum, qui ſacris locis adhiberi ſit ſolitus interdicit, diligenter etiam locum ipſe oculis perluſtrans, num quæ ſubſit fraus aut ſenſuum ludificatio diſquirit, num turpis quęſtus gratia aliquid vel cōfictum eſſet, vel procuratum, cum omnia hæc ſatis explorata haberet, omnémque ſuſpicionem fraudis procul à loco ipſo, procul etiam ab his, qui ad eum adminiſtrandum delecti fuerant, abeſſe intelligeret, tum vero miracula ipſa quæ vulgabantur diſcutere eſt aggreſſus magnitudo eorum, nec vt crederet nec vt aſpernaretur effecit. Præterea quæ haud tamen incertis authoribus promulgabantur ſcriptis minimè comprobata ex informationibus manu Notarij ſumptis idoneis teſtibus conſignatis, in vno oppido Vici, ad quindecim infirmos omnino præter ſpem conualuiſſe compertum erat, in queis paraliticus omnium membro-

Act. 5.

Digitized by Google

rum, attractus brachij aridi vſum, cœculus amiſſam prope videndi facultatem receperat; Veneficiis ita perditus, vt per nouem dies mutus iacuerit, omnino liberatus: duo item, quorum alteri abſciſſa cum oſſe tibia, quæ vix fibris & pelle vna ex parte cohæreret, alteri transfixum gladio corpus præter omnem vim naturæ conualuerant. Hæc omnia, ſtatim ac Beatæ Virgini, quæ in hac Imagine colitur, ſe commendarant. Epiſcopus igitur doctorum in ſacra Theologia & in vtroque iure conuentum indicit, cui ipſe aſtuit adhibito ſecum Inquiſitore hæreticæ prauitatis R.P. Patre Alexandro Longo, & ex Medicis & Chirurgis peritiſſimo quoque: Et primo quidem conceſſu inſtrumenta, quibus fides fiebat miraculis ſunt recitata, tempuſque ad deliberandum datum; cum enim conuentus haberetur, præualuit eorum ſententia, qui nullum ex iis, quę recitata erant pro miraculo, ſed pro gratia duntaxat habendum eſſe cenſebant: Cæteris, qui pro miraculis ea haberi volebant minime contrà nitentibus, quod prope diem fore ſperabant, vt res ipſas omnem dubitationem eximeret & miraculorum confeſſionem ab iis, qui tunc inficiabantur, extorqueret. Hoc autem differt miraculum à gratia, quòd miraculum diuinæ virtutis contra vel ſupra ordinarium rerum curſum operantis, ſit effectus. Gratia vero etſi à Deo eſſe piè credatur, tamen per ſe is effectus ſit, quem vel naturales cauſæ, vel dæmonis ars efficere etiam poſſit.

Prou.19 VERVM enimuero multæ cogitationes in corde viri ait ſapiens, voluntas autem Domini permanebit; multis, inquam, ac variis cogitationibus agebatur non Epiſcopus modo, ſed quiuis etiam, qui conſulta-

tioni interfuerat, ancepſque cura vnumquemque agitabat nolle permittere, vt religioſiori veneratione coleretur Imago; nolle pietati populorum reclamare, illud quia ne aliquis error ſubeſſet verebantur: hoc quia eos diuinitùs concitari apparebat, ſed diuina voluntas, vt permaneret ipſa tum Epiſcopum, tum cæteros, cum quid opus facto eſſet expedire non poſſent euidentioribus ſuæ potentiæ effectibus omni religione ſoluit. Iam feſta Pentecoſtes inſtabant, & ipſemet Spiritus ſanctus, qui per eos ipſos dies repleuerat totam domum, vbi erant ſedentes Apoſtoli: ita, vt innumera multitudo ad eos conueniret, huic Imagini ſuperuenit, & virtute altiſſimi obumbrauit illi. Ita velociter [redacted]currente ſermone eius tantæ populorum cateruæ è remotioribus locis, quando ditioni Epiſcopi ſubiectis id minimè liberum erat, ſunt excitæ, vt nullum iam euidentius miraculum deſiderari poſſet ſuper trigintia hominum millia, in quantum coniicere licuit vna die ſacrã pilam ſalutarunt; ex quo huc vſque mos inualuit, vt his potiſſimum diebus maior alio quouis anni tempore illuc conueniat multitudo, inſtaurãdi altaris, & ſacri ibi faciendi, vt Eccleſiæ præcepto audiendi ſacri ſatisfacere poſſent aduentantes vellet nollet facultatem fecit Epiſcopus. Tum vero ciuitas cum vicinis populis, cui pietati in ſacram pilam per metum iam nimis diu moderata erat, eam omnem in præſentis lætitiæ ſignificationem effundit. Tum certare ſtudiis incolæ & peregrini, tum pro ſe quiſque, quem ardorem in ſe ſentiebat, verbis ſignificare, acceptas gratias profiteri, & reputare ſecum ipſe, quemadmodum ad illam dignius accederet, vndique omnes accurrere turmatim alij aliis

inſtructis ordinibus, vt diſciplinatorum Societatibus mos eſſe ſolet. Iuuenes & virgines, ſenes cum iuuioribus laudant nomen Mariæ, reſonatque perpetuo terra à vocibus eorum. Ne diutius morer nihil deſideratur eorum quibus verè diuinitùs inſpirata, animorum commotio, ſeu effuſa vulgi pietas ſignificari ſolet.

EPISCOPVS LOCVM viſitat & illius cultui conſulit.

CAPVT IV.

VBI hi ſucceſſus inſidentium animo tacitæ Religioni congruerunt, tum demum Epiſcopus omni dubitatione poſita, quibus poterat modis, eum locum venerari ſtatuit, quem Deus ſic honorabat: ſuberat & ille metus, ne per eius abſentiam, cuius erat tantæ rei inuigilare, antiquus hoſtis ſuo perpetuo ſtudio diuina opera vitiandi, infamandæ rei cauſa, ſolitæ fraudis aliquid pietati populorum inſueret: viſitationem diœceſis tum forte obibat, ſed hoc ipſum quod magis inſtaret peruertendum ſibi eſſe duxit. Ad decimum tertium Kalendas Quintiles generalem ſupplicationem ad ſacram Pilam indixit. Tum ſuperfundenti ſe lætitiæ vix temperantes Montis-regalenſes ac Vicenſes, in primis ad id, ad quod ſua quemque deuotio cogebat, authoritate publica euocati, certantes ſecum ipſi connituntur, vt quò propinquiores loco erant, eò in ſacra Imagine colenda cæteris præſtarent. His ſtudiis igitur apparata proceſſio ad ſacrum contendit lo-

cum, præcedebant vt aſſolet cum crucibus & vexillis puellę puerique, qui doctrina Chriſtiana imbuuntur, hos proximè conſequebantur grandiores natu Virgines ſacras odas modulatis vocibus, nũc ſimul, nunc inuicem concinentes. Poſt has quæ vulgo diſciplinatorum Societates vocitantur, magnis interuallis ſub ſuis quæque ſignis, diuerſorum colorum lineis vel aliis notis inter ſe diſtinctæ, preſſo gradu incedebant. Tum vero ſacræ Religioſorum familiæ ac proximè eas ſæcularis Clerus, quorum agmen duo cogebant Epiſcopi, Montiſ-regalenſis & Bartholomæus Ferrerius, Auguſtæ Prætoriæ Antiſtes, qui peropportunè augendæ pompæ Montiregali per eos dies agebat: Epiſcopos gubernator ſequebatur & ſecundum eum tota ciuitas ſeſe effundebat, præeuntibus viris pro ſua quiſque dignitate vel gradu, ſubſequentibus fœminis; vbi ad decliuũ collis qui ſacræ imminet pilæ peruenerunt, difficile dictu vtrum in aduenis, qui eò confluxerant, maiorem pietatem excitarint, quàm ex conſpectu tantæ multitudinis, quæ totam repleuerat vallem, ipſi conceperint: nec ipſa modo aduenarum multitudo admirationi ciuibus fuit, ſed tot luminibus vallis collucebat, tot clamoribus ſimul miſericordiam inclamantium, ſimul acceptas gratias efferentium, colles perſonabant, vt circumfuſo vndique pauore ſimul & horrerẽt, & lachrymis perfunderentur.

Ægre ſummotis obuiis appropinquare loco Epiſcopi, & qui proximè eos circunſtabãt potuerunt, atque turba referta iter reliquum clauſerat: ibi cum ſeſe in orationem per multũ tempus dediſſent, quam pietatem Imago ſpirabat, animo magis, quàm oculis accipiebant, ſecundum preces & vota iam præſagien-

tes futuram breui amplitudinem loci, aream ad ædem circa pilam occupare fundamentis decreuerunt. Id quibus loci cura incumbebat proſpicientes primario lapidi pro fundamentis demittendo locum pararent, quem ſolemni ritu benedictum, Epiſcopo manum admouente, ſua in ſede collocauere.

AD cætera deinde, quæ ad incrementum pietatis erga locum ipſum ac ad ſalutem eo confluentium facerent, animum adiecit Epiſcopus. Nec vnius generis hæc Prouincia fuit, omnium primum prouidendum erat, à quibus ſacra fierent, vt identidem aduentantibus minimè deeſſent. Magis etiam vigebat communicantium numerus: cui muneri vix ſacerdos vnus ſufficere poſſet, cum ſuper quatuor millia hominum communicandorũ occurrerent aliquando per vnum diẽ, ſed ea maxime cura angebat, qua ratione peccata confeſſione expiare cupientibus ſatisfieri poſſet. Multa hac in re quæ diuinam virtutem teſtarentur illuxerunt orbi terræ miraculorum coruſcationes, gratiarum omnis generis haud dubiæ impetrationes, perpetua eademque inaudita populorum ſuis è ſedibus excitorum fræquentia, animorum commotio & qui inde ſequebantur, oris & corporis totius varij habitus. Nihil diuinius, quàm quod non aduentantibus modo, ſed vix dum ſacrum hunc locum adire cogitantibus, ad extremum etiam perditis pœnitentia iniiciebatur, vt nihil illis confeſſione antiquius eſſet, qua, qui antequam domo diſcederent, minimè ſe expiarant, quo magis propinquiores loco fiebant, eo illius deſiderio magis æſtuabant: itaque qui forte in ipſa via hoc non præſtitiſſent confeſſarios circunſtabant fræquentes adeoque impatientes

moræ,vt nonnulli ſecretum peccati virus,quo cruciabantur,publica confeſſione conati ſint euomere.

His omnibus vt copia ſacerdotũ ſuppeditabat ad præſens prouiſum & Miſſarum quidem, vt ſatis ſuperque eſſet præter Sacerdotes inibi commorantes, Curatorũ aliorumve,qui plebes vel agmina comitabantur effecit copia, ſa ræ communionis impartiendæ duobus vel tribus datum munus, confeſſionibus autem excipiendis,tam ſeculares quam Regulares viciniorum locorum confeſſores perpetuo inſudabant. Prælatis Regularium operam ſuam ſuorumque Epiſcopo vltro offerentibus, nonnulli ex Canonicis loco prçfecti,qui res diuinas curarent;vt quo tempore cuique eorum officiis vacandum eſſet, prouiderent, nec reliquorum quæ ſalutem animarum non ita attingerent, neglecta cura quinimo omnia ea prudenter & fortiter adminiſtrata non Epiſcopi duntaxat, ſed ciuium etiam diligentia & indefeſſo ſtudio: habito enim ſolemni concilio, multa quæ ad incrementum huius operis facerent ſanciuerunt,illudque imprimis, vt ad ædificia ſacra adque ſternendas vias neceſſarij agri ære publico compararentur. Aream enim in qua ſita eſt ſacra pila cum adiacente dimidio iugere terræ illius *Dominus Guillelmus Veglia*, licet tenuioris fortunę,paterfamilias Beatiſſimæ Virgini dono dedit;duodecim præterea ab eodem concilio delecti,qui Epiſcopo ad rem ritè adminiſtrandam per vices inter ipſos mutandas, ſi cui vſui eorum opera eſſe poſſet præſto eſſent,ex quibus alij eleemoſynis recipiendis,alij ædificiis conſtruendis præfecti, aliis negotium datum,vt perpetuo aduentantium peregrinorum turmas per priuatas ædes,quando publicæ nullæ eſſent,diſpone-

Digitized by Google

rent; aliis vt annonæ iuſta ſtatuerent pretia hac ratione cunctis in partem muneris ſui benigne pollicentibus ac ſtrenue impendentibus operam, temporalibuſque iuxta ac ſpiritualibus miniſteriis recte diſtributis, ac adminiſtratis; mirum dictu, quantum in dies res proceſſerit, quantumque pro ſe laborantibus Beata Virgo ſe propitiam præſtiterit. Erant plerique nobiles, quos ſeu vnius diei continens labor, ſeu noctis integræ vigilia alioquin confeciſſet; iis tamen poſt ſuſceptam ſuam Prouinciam nil vel cœli inclementia, qua vallis laborat, vel nocturnus humor grauans caput officere potuit, cumque eos per multos menſes loco natura graui ac ædificiis deſtituto feruor æſtatis primum torreret, tum autumni intemperies varians calores frigoraque exerceret, nullumque quietis aut ſumendi cibi tempus daretur, omnes tamen ſemper alacriori animo ac firmiori corpore interdiu noctuque commiſſa munia obibant, vigiliarum æque ac inediæ incommoda perpetuo tolerantes.

QVAM LONGE LATEQ; hæc pietas manarit.

CAPVT V.

CVM autem complacuit ei, qui ſacram hanc Imaginem delegerat per gratiam ſuam, vt per eam celebraretur nomen & honos matris ſuæ in gentibus: noluit iam intra fines Montiſ-regalis, nec ſub-Alpinæ quidem Italiæ tantarum rerum famam contineri, quin imo diuina quædã commotio in animis finitimorũ.

Primùm

Primum pro nuncio fuit; vbi vero gratiæ ab iis vſquequaque diuulgari; vbi miracula plurima ſuis teſtata munimentis diffamari ſunt cœpta. Cum res aut noua aut vetuſtate exemplorũ exoleta omniũ erexit animos, tum ardor ingens videndi loci omnes & ſingulos inceſſit. Cui cum ſtatim ſatisfeciſſent plurimi: domum regreſſi & comperta ab ſe non tantum vùlgata fama referendo ea, quæ afferebantur longe minora, quàm pro rei magnitudine eſſe affirmabant. Quæ vox vt quiſque proximus ab iis erat, per omnes velut continens incendium peruadens Liguriam primùm, tum Inſubriam totam eſt amplexa, ab quibus in reliquam Italiam, in Galliam atque Germaniam velut gradu facto ſe ſuperfundens, nedum multos præbuit ſermones, ſicut omnis nouitas ſolet, ſed eodem ſtudio locum inuiſendi vniuerſos accendit; hinc etiam atq; etiam auctus omnis generis mortalium concurſus. Pedemontanorũ primò, & ſecundum eos Ligurium quos Motisferrati & Inſubriæ accolæ ſunt ſubſecuti, in quibus quoquiſque vel generis nobilitate vel præcipua aliqua dignitate eminebat, eo magis ſui ſtudij in Beata Virgine colenda ſpecimen dare feſtinauit.

INSIGNES autem in his fuere ex Eccleſiaſticis *Iulius Cæſar Richardus* Nuncius Apoſtolicus apud Sereniſſimum Ducem Archiepiſcoporum Taurinenſis & Tarantaſienſis Epiſcoporum Aſtenſis, Hipporegienſis Salutienſis in ſub-Alpinis. Ex Liguria Norienſis Albigenſis, Albintimeliẽſis: Et ex Inſubria Dertonenſis. Duo etiam inſigniorum Religionum Reueredisſimi generales frater *Hippolitus Maria Beccaria* Montiſregalenſis & *Philippus Ieſualdus Ianuenſis* Prædicatorum ille, hic Franciſcanorum. Plurimi item aliarum

Religionum tum dignitate cum doctrina inſignes viri. Ex ſecularibus omnium primus fuit *Bernardinus Sabaudus* Draconiſij Dominus, non magis generis nobilitate quàm pietate conſpicuus; cuius exemplum proxime ſunt imitati ex eadem familia principes viri *dux Nemurtius Amedeus*, præterea ac *Philippus*. Idemq; tum feciſſent ſereniſſimi duces *Carolus Emanuel & Catharina Auſtriaca*, ni vltra Alpes haud ita pridem hoſte ſummoto, qui in Italiam biennio antea irruperat, nihilo quietiores in Sabaudia res habuiſſent. Enimuero magis ex loci & perſonarum dignitate ea dilatio viſa eſt, vt quò ſerius eò maiori cum ſpecie pietatis ac ſplendore hoc itinere defungerentur. Priorum tamen exemplum reliquam nobilitatem ita permouit, vt exteros etiam exciuerit, & in iis Producem Mediolanenſem Caſtellæ Conteſtabilem Ioſephum de Auſugna, tum Legatum Regis Catholici, mox Arcis Mediolanenſis Præfectum. Alios item nobiles Hiſpanos, ac Gallorum nonnullos, quamquam ob bellorum tumultus id illis minime liberum erat: ſed longe nobiliſſimus omnium fuit Albertus Auſtriacus Flandriarum Comes. Idemque Gener Regis Catholici deſtinatus, tumque Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis.

Porro nobilitatis ſtudio populorum pietas nihil ceſſit & Ianuenſium imprimis; hi namque tum cateruatim, tum ſinguli tanto ardore ſub ipſa huius deuotionis initia, & ſequentibus deinde annis quamdiu hoc illis per bellicos tumultus licuit ad hanc ſacram pilam aduentarunt, vt viciniores quoſque fræquentia prope exęquarint, largitionibus etiam ſuperarint. Ligurium pietatem, quamuis loco magis diſſiti, Me-

diolanenſis ditionis propiora loca & ipſi ciues ſunt imitati, qui & frequentes locum inuiſerunt, & quæ ad ornatum eius facerent tranſmiſerunt, plurima etiam nunc; tranſmittunt. Nec Sabaudorum ſilentio prætereunda pietas, quos cum nec longitudo itineris, nec itinerum pericula (cum plurimi in ipſis Alpibus ac ſolutis calore niuibus oppreſſi nunciarentur) nec aliæ difficultates abſterruerunt; quin imo integris populis in vnum collectis, puerorum ac fœminarum admixta turba demigrantium in morem huc conceſſerunt; ſatis dignum tanti laboris periculique præmium rati ſe laturos, ſi ſacræ Imaginis ſpeciem oculis, animis quam ſpirat pietatem, quaſque effundit gratias totis ipſis haurire poſſent: horum donum fuit cubitalis altitudinis argenteum ſignum ſancti Mauritij Allobrogum Patroni: quorum in finibus cum cætera legione Thebea pro Chriſto mortem oppetiit Sabaudis vt ſunt loco finitimi, ſic pietate æmulos Galli & Heluetij ſeſe præbuere. Plurimi enim tum Catholici, tum Hæretici huc commigrarunt. Illi vt eidem ardori viſendæ ſacræ pilæ, quo tum cæteri æſtuabãt ſatisfacerent, hi vt explorata haberét ea quæ renunciabantur, quippe quorum Magiſtri ſuos errores tot miraculis reuinci intelligentes, antequam viam criminandi Eccleſiaſticos ingreſſi hæc omnia ſenſuum ludificationes & nouas artes corrogandi pecunias calumniabantur. Sed tantam impudentiam & iniuriam non inulta tulit *Beata Virgo*. Nempe vt quæ Deus ipſe pro ſingulari ſua pietate in homines ad eius interceſſionem operabatur, eadem per ſummum ſcelus hæreticorum impius furor hominum cupiditati dæmonumue præſtigiis tribueret. Quamobrem cuiuſdam Miniſtri pœna

obſtruxit omne os loquentium iniqua, & à ſimili obtrectatione cæteros abſterruit, quod factum nunc ordiri pergam.

VINDICTA DIVINA IN Obtrectatores.

CAPVT VI.

MILES quidam ex ea Ciuitate Heluetiorum, quæ Latinæ Tigurum vulgo Zurich dicitur, ſacram ædem cum inuiſiſſet, Aſſumptionis feſtum ibidem exegit, ad ſuos regreſſus quæ inibi agebantur, quamquam ab Hæreticis minimè libenter audirentur, vulgare inſiſtebat ex quo cum, vt vbiuis locorum tantarum rerum peruadebat fama, maxima commotio ſequeretur, iniquò animo erant Nouatores, & illorum Miniſtri imprimis. Hominem itaque blandis verbis compellunt, ne vltra huiuſmodi ſermones in vulgus ferat non ſe temperantem minis, ac verberibus caſtigant: Quæ res cum magis eum ad hæc promulganda incitaret, & multos apud cæteros præberet ſermones. Miniſtri qui hæc omnia pro vanis habebant rumorem omnem, & quæ inde ſequebatur animorum commotionem, ſedari militémque mendacij argui poſſe rati, ſi aliquis eò profectus quid ageretur perſpiceret, ac renunciaret priore in carcerem coniecto, alterum quemdam ex ijs qui ſe à Catholica fide magis auerſum profitebatur eò delegant: is per opportunè ſatis peruigilio Natiuitatis *Beatæ Mariæ*, huc deuenit: ſpectator futurus eorum, quæ illo celeberrimo die ipſo in loco contigerunt ad-

mirationis humanæ excedentia modum. Cum huic potiſſimum feſto dicatus fuiſſet locus ad illud concelebrandum homines Deuſque ipſe conſpirare viſi: vt ſileantur enim quæ viciniores populi cum ipſa vrbe Montis-regalis pro nuncia feſtiuitatis læta ſigna ediderũt; vt ſunt Campanarum, tubarũ, machinarũmque ſulphurearum fragores, Muſicæ voces, & cantilenæ, quibus tota Regio perſonabat feſtiui ignes, & ſi quibus alijs, ac diu expectatis ſeu ad ſacras ſeu profanas ſolemnitates celebrandas populi excitari ſolent: tanta fræquentia mortales eò aduentarunt, vt eorum numerus nulla ratione iniri potuiſſet, id dumtaxat eſt animaduerſum à peritis, confertam turbam inibi conſiſtentem tantum loci occupaſſe, quod centum viginti millia hominum commodè caperet. Cæterorum vero qui vel aduentabant, vel conglobati diuerſi abibant tanta erat multitudo, vt per multa millia à loco ſacro continentibus agminibus complerent vias, ne vero quod ſæpe fit promiſcua multitudo confuſionem pareret: nouos inire modos ad hanc præcauendã noua pietas edocuit, nuſquã aliàs tot ſocietates vno die ſimul confluxerant, cum ad nonaginta ſex recẽſitæ fuerint, pręter eas quę intempeſta nocte domo diſcedentes huc commodè aduenire poterant. Illarum etiam pleráſque eorumdem locorum accolæ ſecutę fuerant: cum itaque ſacræ pilæ minimè appropinquare poſſent, nec quiſquam ſuę pietati ſatis ſe feciſſe putaret, niſi velut proprio penſo noueno ambitu ſacram imaginem coluiſſet, qua parte tandem conſtiterant minoribus orbibus in gyrum ſeſe rotantes ſuam nouenam, vt locus permittebat obibant; ex quo vix credi poſſet quantum, vel pietatis, vel admi-

Digitized by Google

rationis, vel terroris denique circumſpectantibus incuteretur, habebant prę manibus ſinguli collucentes faculas, quę multitudine ipſa tantum luminis prębebant, vt quemadmodum de ea nocte Natiuitatis ſuæ non abſurdè vſurpare poterat Beata *Virgo* id quod cecinit Pſalmiſta. *Et nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio mea in delicijs meis.* Ita rotationi iſti tot facularum hanc Virginis ſedem illuminantium non minus congruere videretur illud Prophetę, *Thronus eius flamma ignis, rota eius ignis accenſus*: quæ viſio eò magis animos permouebat quòd & oculis alia plurima obuerſabantur incitamenta pietatis, cum hinc ſacris odis, illinc muſicis inſtrumentis: hac pœnitentium querelis, illac nunc opem implorantium, nunc miſericordiam inclamantium, nunc acceptas gratias efferentium, vocibus tota vallis perſonaret. Sed nihil tam ad videndum pietate, vel ad audiédum horrore plenum quàm flagellis ſeſe cædentium fœdus conſpectus, crepitúſque plagarum, quorum in omnibus ſocietatibus maxima vis erat, & plurimi extra ordinem vagabantur, tam fœdè ſe lacerantes, vt ne dum ſeipſos ſed circumſtantes cruore reſpergerent; Ita vt miſerabilem omnino conſpectum intuentibus exhiberent. Quibus omnibus multæ & in vnum confuſæ voces non quidem cum animorum ſenſum, & cogitationes totiúſque oris habitus efficiebant, qualis eſſe ſolet cum humanum aliquod ſpectaculum quárumuis atrox & admirabile cernitur, ſed tanta admiratio vehemenſque terror, qualis cum cœleſtia viſuntur prodigia crudeles oſtentátia minas omnium deffigebat animos; itaque extra ſe agebantur plurimi, cæteri vero in quemdam

nouum orbem ſe tranſlatos opinabantur.

His exercitijs: qua cibi qua quietis immemor nox traducta & matutina lux ſuperueniens illius celeberrimi diei quantum nocturni horroris ademit, tantum addidit pietatis, & ſpiritualis gaudij, omnia vt erant longe digniora repræſentando. Quamquam enim ſocietates vniuerſę omnem ſemper adhibuerant curam, vt veſtium apparatu, pijs repręſentationibus, muſicis vocibus, & alijs huiuſmodi inuitamẽtis pietatis ſuum aduentum concelebrarent, eo tamen die qua aduentarunt, ſicut multitudini, ita etiam cęteris omnibus exuperarunt. Prçter eas enim ſocietates, quæ in valle pernoctarant vbi illuxit, alię ſuper alias perpetuis agminibus cõfluebant· quę in Monte-regali, & in adiacentibus locis noctem exegerant, quæque tantam exhibebant frequentiam, vt ipſas demum Prouincias nedum ciuitates ſuis incolis orbatas crediđiſſes, cùm in ijs non modo nobiliſſimi quique cernerẽtur, ſed mulierum puellarum ac infantium propemodum iungerentur agmina, & ipſimet Epiſcopi ſuos greges fuerint proſecuti, ita vt ad quinque eo die in ipſo altari ſacrum fecerint, quorum omnium aſpectus ſi quid valuit ad animos permouendos quis edicere poſſit, quos animorum motus fecerint tremores illi, quibus modo hunc, modo illum corripi, moxque in terram alienatum à ſenſibus delabi cernebant, quis inquam referre poſſet quoſnam motus ciuerint in extaſin raptorum varij habitus, quis eorummet cum ſe collegiſſent voces, aut orationes quibus vel *Beatam Virginem* ſimul concelebrabant, ſimul alloquebantur, vel ſeipſos cęteróſque peccatores incuſabant, nunc ad Paradiſi prçmia inuitando, nunc inferorum pœnas

minitando; Quis diuina ope egentium preces ac querelas; quis complorantium fletus ac alta ſuſpiria; quis denique gratias ac miracula quę viſebãtur; quę quanto omnem naturę vim & hominum, ac ipſius dæmonis artem ſuperabant, tantò efficacius vnumquemque perſuadebant hæc omnia ad augendam pietatem in B. Virginem, & ad animarum ſalutem magis quam corporum ſingulari Dei prouidentia actitari.

Qui igitur miſſus fuerat ab hæreticis eò que venerat minimè inclinato ad credendum animo, & niſi miracula vidiſſet, cætera vana exiſtimaturus, cùm velut alienato à ſenſu hæc ſpectaret animo eadem gratia quæ operabatur reliqua, in cor illius illabẽte, omnem abiecit errorem. Eius nunc terror, nunc pudor, nunc indignatio in ſuos, pectus verſat, ægréque abſtinet, quin cum reliquis vociferetur. Tandem optimè edoctus nec ſe fruſtrari oculos, nec quidquam ibi fieri, quod diuini numinis præſentiam non teſtetur, ad ſuos iter capeſcit, quò cum deueniſſet nihil veritus ne in ora ſectariorum pro ludibrio abiret, quæ audierat, & viderat, quæque niſi ipſe oculis auribúſque ſuis crediſſet, pro veris minimè fuiſſet habiturus: ijs qui eum miſerant ac toti ciuitati conſtanti confeſſione renunciat. Tum facta fides ea quæ miles qui antea locum adierat, quemque in carcere habebant euulgaſſet non modo eſſe vera, ſed longè minora quam, vel ipſe enarraſſet, vel alius quiuis enarrare ſufficeret, ingénſque tum Catholicis ardor tum hæreticis terror iniectus. Miniſtri igitur etſi id non æquo ferebant animo, abſterriti tamen iam contra tendere ceſſabant: ſed quidam iſtorum cui Florianus nomẽ erat in caninam rabiem verſus, id minimè tolerandum ducens, nunc

priuatis

priuatis nunc publicis ſermonibus B. Virginis gloriam, & Catholicorum pietatem inſtitit allatrare: verùm magno illi ea perfidia ſtetit, ira et furore percitus in ſuggeſtum cum aſcendiſſet ad ſuæ ſectæ homines concionaturus, tantas in Catholicos contumelias euomere cœpit, vt eam impudentiam ferre non valentes qui aderant, maledictis parcere commonerent ipſum, ex quo in eam dementiam & furorem eſt adductus, vt ni ea quæ fama ferebat de hac ſacra imagine ludificationes eſſent ſenſuum, & Eccleſiaſticorum adinuenta ad corrogandas pecunias caput ſuum animámque ipſam dæmoni deuoueret: immanis huius audaciæ portento cum eſſet attonita concio, nutibúſque ac alijs ſignis diras iſtiuſmodi execraretur, in hæc tandem verba prorupit infelix. Quandocúmque hæc omnia quæ illinc renunciantur falſa non ſint: oculorum ſcilicet præſtigia, & Clericorum commenta, te precor diabole, vt hoc ipſo momento temporis hinc tecum me rapias, nec impunè protulit blaſphemias, nec fruſtra dæmoni ſe deuouit, ab illo repentè è conſpectu abreptus nuſquam apparuit, & quamquam à quo raptus eſſet verba quæ protulerat ſatis ſignificarent, nec tamen quiſquam inficiari poſſet, incredibilis fœtor locum ita occupauit, vt ipſum occludere maturarint, ſiue quia fœtorem iſtum ferre non valerent, ſiue vt hoc ipſo diuinæ vltionis argumento ſublato, delatum illú in cœlú à ſimplicioribus, qui minimè inter ~~fama~~ fuerant credi poſſet, verú tam horrendi caſus fama
eam vrbem primo peruagata, paſſim quoque ad vicinos emanauit, nec ab ijs modo qui hoc facto commoti ad B. Virginis ædem ſalutandam properarunt, res accepta, ſed à primoribus Heluetiorú ſuis teſtibus ac

erant tum ſegetes, quà maturæ meſſi, quà in aream inuectæ tempeſtatibus alijſque iniurijs obnoxiæ, fœnorum ſecandorum dies aderant, aruorum arandorum peropportunum tempus, ijs tamen non poſthabitis modo, ſed propè oblitis, in apparatum nouæ peregrinationis toti erant, tantúſque vniuerſos inceſſerat ardor, vt non ſenes, neu valetudinarij, non pueri innuptæue puellæ, nec ipſi infantes tam queſtuoſo itinere ſe fraudari paterentur, ſed curribus, vel carpentis ſubuecti vėlut aliam regionem ad inhabitandum petituri commigrabant. Ita vt in quodam oppido vnus dumtaxat aliquando reſtiterit, quod eo itinere iam eſſet perfunctus non autem ad cuſtodiam. Auerterat enim ab omni cura rei familiaris, ab omnique furti ſuſpicione eorum animos, quam de patrocinio Beatæ Virginis omnes imbiberant fiducia. Quæ etiam vel eo maximè enituit quod nullum viaticum ſecum ferebant, omni ſcilicet in Beata Virgine, cuius ante oculos iam obuerſabatur Imago, cogitatione defixa. Quæ cogitatio eos minimè fruſtrata eſt vt ipſemet docuit euentus cum omnia patentia furto, inſueta oppidorum ſolitudo feciſſet. Nullius domus agerue violatus vt paſſim fuit annotatum, ſed tuta omnia & integra ad dominorum reditum Beata Virgine cuſtodiente permanſere.

Et licet ſuus cuique animus feruoris plenus adhortator adeſſet, optimus tamen quiſque circuire plebes inſerendóque ſe in circulos ſermones tempori congruentes habere, admoneret, vt viderēt quidnam cuique præſtandum eſſet quo dignius ad eum locum accederet, multa quæ vulgabantur commemorando, vt ijs edocti nulla peccati labe aſperſi, illo commigrarēt.

Alacer igitur quiſque quæ munia cuique, vel priuato vel communi nomine obeunda erant ſollicitè diſquirunt, alij accipiunt imperia, diſcedúntque ad ſuas quiſque officiorum partes. Alij offerunt ſeſe ſi quo vſus opere ſit, ſumma diligentia omnia executioni mandantur ardore ipſo diuinitus immiſſo adeundi loci eos ſtimulante. Nec deerant qui dum huic præparationi inſiſterent, tanquam claſſicum quo aduocarentur perpetuo ſe exaudire affirmarent. Summo autem ſtudio oppida ſocietatéſue inter ſe certabant aliquid comminiſci, quo iter ſuum clarum expectatúmque facerent, ita vt in eo cuiuis difficilis æmulatio eſſet. Plurimæ ſocietates vbi nullæ erant inſtitutæ aliquæ etiam iam antiquatæ denuò ſe conſociarunt, quæ lineis nouis indutæ nonnihil dignitatis rei addebant. Quamquam & hoc plurimæ aliæ quæ tunc florebant factitarunt: vt ſi non recens natas, innouatas tamen, & ad perſeuerandum in bono hac occaſione diceres excitatas. Signa etiam cuiuſque ſocietatis, & Crucifixi Saluatoris imagines lineas quas præferre ſolent de nouo plerique compararunt, nouas item laternas ligneas, quibus cerei occuluntur, auro obductas.

Ne verò apparerent in conſpectu Domini vacui præter priuata munera, quæ pro ſe quiſque animo deſtinarat, publico dono comparando, vt ſinguli pro domeſticis copijs aliquid conferrent ſtatuebant, nec facilè reperietur aliquod oppidum quantumuis infrequens, quantumuis tenue cuius incolæ, quo tempore loci inuiſendi conſilium ceperant non ſimul etiam de coëmendo, vel altaris, vel ſacerdotis aliquo ornatu cogitarint ſecúmque adduxerint: ea in vniuerſum tum præfectorum ſocietatum, tum locorum Magi-

ſtratuum cura erat quanto cum apparatu, tum ſciebant ac poterant rem concelebrare. Solemne etiam pleriſque fuit ſacratiſſimæ Paſſionis inſtrumenta vel B. Virginis hieroglifica Litanijs decantata aut certè ſacri Roſarij miſteria, ligneâ vel cartaceâ expreſſa materiâ, ac ſuis quæque coloribus picta efferre: Propria vero quorundam, vel locorum, vel ſocietatum has illáſue perſonas effingere ex ſcęnis ad pietatem tranſlato more. Quibus in rebus etſi præfectorum certabat induſtria in muſica tamen comparanda eorum ſollicitudo, ac ſtudium imprimis ènituit, peritiſſimo quoque in ea vndequaque, & quantumuis grandi pretio accito, quæ ſingula ad pietatem excitandam fouendámque Religionem quæ animos omnium occuparat non parum momenti afferebant.

Cum hæc iam in promptu eſſent: iter in certam diem indicebat ſacerdos, ac pridie quàm proficiſcerentur, communi edicto ab omni alio opere vacatio erat; profectionis illuceſcente die, campani æris ſigno in ſtatutam Eccleſiam aduocabantur omnes, ibi ſacerdos è ſuggeſtu pauca præfatus, de loci quem petebant dignitate ſeu celebritate quinam fructus eſſent ex eo itinere referendi diſſerens monebat vniuerſos, vt ab ijs omnibus præcauerent quibus offenſam pro gratia eſſent incurſuri. Ab hac exhortatione, qui ordinãdis agminibus præerant in hunc maximè modum illa explicabant. In primo agmine Virgines erant ſolutis paſſim crinibus, & lineis albis velatæ, præibant inter eas quæ propius infantiam erant. Quarum quo erat imbecillior ætas eo, & aſpectus illarum, & voces reſpondentium, *Ora pro nobis* occinentibus Litanias maiorem exprimebant pietatem, innocentia ipſa imperi-

Digitized by Google

tiam cantus abundè compenſantè, nam grandiores natu odas ſeu Laudes, quæ dum imbuuntur doctrina Chriſtiana ſolent decantari, tanta ſuauitate concinebant, vt hoc vno quod nuſquam alias in publicis vijs vſu veniſſet in admirationem plurimi raperentur. Virginum agmen reliquæ mulieres proximè conſequebantur eo habitu corporis, & oris qui pietatem & modeſtiam totus ſpiraret, ſicubi earum mulierum ſocietates erectæ erant, quæ in proceſſionibus ſaccis obuolutæ cæteris humilitate præfulgent, ſilenti agmine poſt Virgines incedebant. Proximè eas impuberes pueri conſertis inter ſe manibus in ſignum charitatis incedentes Litanias alternis vocibus, ac rudi quidem cantu recitabant; ſed eo gratiori quod ex ore infantium & lactentium, laus perficitur, adoleſcentes vel inter reliquam hominum turbam, vel inter diſciplinatorum ſocietates, ſi cui forte ſe aſſociaſſent incedebant. Tum ſocietatum ſigniferi agmen ſuum quiſque ducebat, bini, terni, aut etiam quini procedebant: pro confratrum numero variorum colorum ſaccis induti, varijs item inſignibus è pectore pendentibus diſterminati quibus perſæpè bini pueruli Angelorũ habitu Paſſionis inſtrumenta, vel Myſteriorum ſigna deferentes permiſcebantur. Proximè ab his ibat Muſicorũ chorus, tum Clerici ac Sacerdotes, aut ſi quos impetrare potuiſſent Regularium Cõcionatores. Poſt eos Reliqua multitudo effundebatur quibuſcum permixti ægri, vel alijs incommodis laborantes equis, vel curribus vehebantur.

Quamquam verò omnia hæc permouendis animis aptiſſima erant, vnum tamen fuit quod ad pietatem omnem circa Religionem, etiam atque etiam excita-

bat; totius ſcilicet corporis pia ac modeſta compoſitio, quam velut notam diuinitus commoti animi ſpectatores colligebant. Ibant porrò vultu ad terram demiſſo facie ſpiritalem modeſtiam ſpirante oculis humi defixis, manibus ante pectus iunctis, niſi qui vel orbiculos præcarios, quas coronas dicunt, vel oliuarum ramos geſtarent. Nihil eo ſpectaculo deuotius, nihil humilius, nihil aptiùs denique, vel ad pietatem excitandam, vel ad eliciendas lachrymas: proficiſcebantur autem eo ordine quoadúſque longius digreſſos ab oppido puerorum, ac fœminarum imbecillitas, cuius ratio habenda erat, diſſoluere agmen cogebat, in horum gratiam lentiori gradu incedere, & paſſim ſolebant conquieſcere, nec ea propter animum ab inſtituta pietate relaxabant cum per vias, vel per prata ad curanda corpora in circulos cogerentur. Sacerdotes omnia perluſtrabant, & concionabundi huc illucque diſcurrentes, ad reliquum itineris eadem alacritate & religione emetiendum animabant. Monebant præterea quò propiores ſacræ imagini fierent eò deuotionibus magis eſſe inſiſtẽdum, cui rei maximè vſui erant perpetui ab ea viſenda redeuntium occurſus. Hi miraculo eorum quæ ibi viderant, tum etiam attoniti obuios quoſque vehementiſſimè concitabant, cumque & tempus, & verba illis referendis deficerẽt omnes in hanc vocem erumpebant, maturatè iter, ite læti, ite fœlices quoniam itis ad Paradiſum, ad hæc verba quę ſi modus quo proferebantur exprimi poſſet, per ſe ſatis eſſent ad quodlibet fortè pectus etiamnum cõcutiendum; accedebat conſpectus illorum qui aliquas retulerant gratias, quas tum ipſi tum illorum comites ſimulque teſtes certatim euulgabant. Hic recepta

membra, ille diſtenſos artus oſtendebat. Alius ex diutina paralyſi, alius ex hectica febri aut alio tali morbo, quo malè affectus eo delatus fuerat, ſe conualuiſſe affirmabat; quidam viſum, quidam auditum, quidam loquendi facultatem ſe recepiſſe teſtabantur: addebát plurima longè mirabiliora ibidem perpetuò fieri: & vt fides dicentibus haberetur totius agminis in idem conſentientis authoritas obtinebat.

Tum vix ſatis credere ſe quiſque audiſſe vel vidiſſe, alij alios intueri mirabundi velut ſomni vanam ſpeciē excuſſo deinde ſtupore miſericordiam ſimul proclamare, & ſeſe ad properandum vrgere. His ergo quaſi ſtimulis incitati parum aberat, quin omnes impatiētes moræ citato curſu eò contenderent, quod & plurimi factitarunt & cæteri feciſſent, ni aut honeſtas, aut imbecillitas, aut ordinum ſeruandorum prohibuiſſet neceſſitas, ſed quò corpus nō poterat ſpiritus procurrebat, quęque ante Sacratiſſimam Imaginem fiebant, non animis modo ſed propè oculis obuerſabantur, eoſdémque ſenſus, ac qui pręſentes aderant induebant, hinc ſicut haud diſpar erat habitus animorum, ita eędem gratię, eadem miracula, ectaſes eędem, eadémque omnia quę diuini numinis pręſentiam arguerent, in ipſo itinere videri cœpta: Vox acclamantium animos permouebat motúſque ipſe animorum ad vociferādum incitabat ante tamen vox illis quàm animi motus deficiebat. Cum enim interdum ſimul voces corporáque remitterent, animos tamen quantum loco appropinquabant, tantum videndorum quę audierát angebat deſiderium, nec quieti vnquam locus erat, quamuis ne quid ad eam conciliandam deſiderari poſſet hoſpitum charitas efficiebat.

QVOMODO

QVOMODO RECIPERENTVR Peregrinantes.

CAPVT VIII.

QVANDOCVMQVE autem locum aliquem erant ingreſſuri, quod in regione, vrbibus, oppidis, ac vicis fræquentiſſimè idemtidem contingebat, ordines ſuos inſtaurabant, vt inſtructa velut acie nouæ militiæ ſpeciem præberent, cui pro claſſico, aut tympano Litaniæ erant, quæ procul exauditæ primo quidem admirationem ciebant, vt in re ſiquidem diuina potius quam humana opera diffamata accidit ſæpè, vt qui longius aberant itineri antea ſe commiſerint, quàm ij per quos iter erat, quidnam ageretur perſenſiſſet. Hi igitur rei nouitate attoniti non mirabantur modo, ſed ne ipſis quidem cogitantibus quid ſentirent, aut quid dicerent ſatis conſtabat, qui itaque erant intra oppida fræquentes ex ijs ſe eijcere: clamor inde concurſúſque populi vias quà iter eſſet obſidentis, deinde cura humani ingenij obuios quoſque ſciſcitari, ab ijs audita alijs referre, tum in prætereuntes taciti oculos defigere, ipſas ciuitates ſuis ſedibus euulſas credere, dum cuiuſque gradus códitionis, ac ætatis commigrantes cernerent. Illud mirabantur magis quanam ratione exactæ iam ætatis, tum viris, tum mulieribus, pueris item puelliſque tanto itineri conficiendo vires ſufficerent. Eorum tamen modeſtia, & quam toto oris & corporis habitu ſpirabant Religio imprimis permouêre, nec alius ſanè

efficacior incitator ad idem præſtandum deſiderari poterat.

In oppidis vero, vbi iam hæc comperta eſſent, longè alius erat animorum ſenſus, ipſis cantibus admoniti quæ iam ante viderant, vel audierant memoria repetebant: & eodem quo iam ante ardore conflagrarant ſuccenſi, quam opem peregrinantibus afferre pro ſe quiſque cogitare: alij domos, alij lectiſternia, cibos alij parabant. Hinc factum eſt, vt ſicut totus ager ſub-Alpinus ab vocibus, & cantibus, quibus perpetuo reſonabat in odæum commutatus videretur, ita totę vrbes ac Oppida Xenodochij ſpeciem referrent, tanta cum humanitate ab omnibus certatim recipiebantur peregrinantes.

Qua in re Principis magnificentia enituit abundè quib⁹ per Taurinos via erat omnia præbuit promiſcuò vſu ciborũ in præpatulo poſito, vtque per domos diſpoſiti quieti feſſa membra dare poſſent, quos ibi nox oppreſſiſſet ſingulari pietate curauit. Principis veſtigia ingreſſæ ciuitates, cæteráque loca, magnificentiæ quidem in ijs excipiendis adijcere (etenim inexuperabilis hæc erat) nihil poterant ſollicitudine, & labore: vt ſuperare poſſent priuata conditio, & loci propinquitas in pleriſque præſtabat, quo enim minus aberant loca quæque à ſanctiſſima æde, eo fręquentius ac perpetuò ferme his officijs erat incumbendum. Inde exiſtimatu facile quàm egregiam operam Montiſ-regalenſes nauarint, ac Vicenſes ad quos ex ſub-Alpinis, vel ex Liguria, antequam ad ſacram pilam erat deueniendum, horum tam indefeſſum ſtudium fuit, vt nulla, neque fræquentia aduentantium, neque ſuarum rerum iactura, neque corporis fatigatione refrigue-

rint,quinimò cum ipſa fræquentia creſcente impenſa ipſis etiam ſtudium augebatur, non enim vni aut alteri ſocietati in dies prouidendum erat,ſed quandoque vicenis nonnumquam etiam quadragenis in quibus ad decem millia hominum recenſerentur, præter inconditam turbam. Nec vnius hebdomadæ ea impenſa fuit, verum multorum menſium, ac etiam annorum in tantum, vt ad ſanctiſſimum Pontificem reporlata per ſuum breue datum eo ipſo anno milleſimo quingenteſimo nonageſimo quinto, die ſecunda Nouembris, illis gratulari æquum putarit,cuius ne vnquam Montiſ-regalenſium charitas, aut munificentia ſileatur fraudeturue laude ſua,eam partem quæ ad rem facit hîc inſerendam duximus.

DILECTIS FILIIS SYNDICIS, & electis Ciuitatis Montiſ-regalis Prouinciæ Pedemontanæ.

Clemens Papa. VIII.

DILECTI filij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus cum ſingulari voluptate,& ſpiritali gaudio,quæ Pater miſericordiarum Deus, qui facit mirabilia magna ſolus per interceſſionem glorioſæ ſemperque Virginis Mariæ, propè Ciuitatem veſtram effecit, & quomodo gloriam ſuam, & eiuſdem Beatæ Virginis vnigeniti filij ſui genetricis, ad ſacram & reuerendam illius Imaginem mirabiliter manifeſtauerit, quodque fidelium multitudo incredibili Spiritus ſancti impul-

Digitized by Google

venientes præferebant omnia in maius augente noctis ſilétio rem auguſtioré, & aliquáto maioré quàm eſſet ſpecié multitudinis faceret. Sed ſiue interdiu, ſiue noctu aduentarent eadem humanitate & hîc, & vbicumque locorum omnes habebantur, campanarum tinnitus qui diebus feſtis adhiberi ſolet aduenire nouos hoſpites, ſignum erat, tum quiſque ad Eccleſiam properare eò enim recta tendebant, & precationis gratia, & vt ſi quam vrbem ingrediebantur benedictionem Epiſcopi perciperent quam ille omnibus ſolemni more impertiebatur, generali confeſſione præeunte ab aliquo Sacerdotum recitata, vix dum ab Eccleſia digreſſis pro ſe quiſque obuiam effuſi ciues præhenſabant aduenas, cunctantes vi abſtrahebant, & qui plus, qui minus pro domicilij amplitudine, vel aduenarum numero, plerique autem ſupra facultates, domum etiam reſtitantes introducebant. Ibi nulla vel humanitatis, vel charitatis munia prętermiſſa, heri famulorum miniſteria alacriter obeuntes pedes lauare, menſas ponere, lectos ſternere. Cumque perſæpè quos aduenis pararant minimè ſufficerent, cedere ipſi ſuis & humi, ac ſub tectis noctem, vt cumque traducere, Virgines ac mulieres, vt honeſto loco eſſent primum curabant, tum viris vt poterant prouidebant. Alijs ſiquidem ſupra alios aduenientibus cum repletæ eſſent domus plurimi in Eccleſijs, vel ſub dio noctem ducebant inſomnem non tamen fructus expertem, Canticis ſpiritualibus noctem fallentes, & ſeipſos ſolabantur, & audientibus ciuitatis nouæ Hieruſalem ſpeciem referebant. Vndecim dierum ſpatio centum quadraginta duas ſocietates ſacram ædem inuiſiſſe ſatis conſtat, quarum pleræque Montiſ-regalis, & Vici

Digitized by Google

hoſpitio exceptæ fuere, vt miraculo eſſe poſſit qua ratione Montiſ-regalenſibus, ac Vicẽſibus tot millibus hominum alendis nunquam defuerint vires opéſue: animus etiam ſuperarit, enimuero plurima contigiſſe ſcimus hoc in genere quæ inter miracula eſſent recenſenda; vinum in dolijs propemodum vacuis ita abundaſſe, vt poſtquam maximæ multitudini bibendo ſuffeciſſet imminutum minimè appareret idoneos authores habemus. Illud monumẽtis conſignatum, cum ſocietati cuidam tranſeunti Oppidani panem vinum, & caſeum appoſuiſſent, ijſque ea multitudo, quæ vtique maxima erat ſe refeciſſet, qui reliquias tollere parabant non modo quicquam eorum quæ appoſuerãt non imminutum ſed etiam auctum compererunt. Sed proprius locus miraculis erit.

Haud facilè dictu quantum hæc ciuium & oppidanorum charitas ad augendam loci celebritatem, & aduentantium Religionem profuerit, dum illam peregrini non humanitus quidem, ſed eiuſdem Beatiſſimæ Virginis, miraculo ſibi exhiberi pro certo haberent, cum maximè in tanta ciborum neceſſitate nihil eorum deſideraretur quæ facere poſſent, vel ad ſuſtentationem, vel ad leuandam fatigationem, non tam ex labore itineris quàm ex cantu, & animorum intentione prouenientem, ne ſcilicet nouo deinde labori nouis Spiritus Sancti, motionibus quæ ſacræ Imaginis conſpectum conſequebantur ſuccumberent, ſed vegetiori corpore animo etiam præſentiori, has exciperent, illum ſubirent.

QVOMODO SACRÆ PILÆ appropinquarent.

CAPVT IX.

ME quoque ad narrationem eorum iam antecedentem, quæ circa ſacram Pilam fiebant, idem qui tum cæteros aduentantes terror occupat: quantam prouinciam ſuſceperim nunc maximè pręſentientem; quippe qui rem explicare aggrediar tum per ſe altiſſimam, tum multiplici rerum varietate implicitam, vt cumque erit, iuuabit ſane ne ea obliuioni tradatur quem potui conatum adhibuiſſe, aut enim me amor rei noſtræ fallit, aut nulla vnquam ædes ſacra auguſtius, vel diuinius habuit initium, vt demus námque, ſanctitate loci hác Lauretanæ (cui primas omnes concedunt) non eſſe conferendam, ſi tamen populorum prodigioſam commotionem, ſi animarum conuerſionem, ſi miraculorum denique gloriam ſpectes, hanc non omnino poſthabendam cenſebis. Miracula ſi quidem ſub primum initium tam fræquentia, tam inſignia, tam admiranda fuere, vt omnium hominum fidem facilè potuiſſent excedere, niſi conſpectus eorum in quibus miraculorum veſtigia permanebant, ne pro vanis haberentur effeciſſent: commotio vero, & populorum fræquentia quænam fuerit, & aliquatenus innuimus, & ex eo facile coniectare licebit quod à Menſe Maio ad Nouembrem anni milleſimi quingenteſimi nonageſimi quinti, nongentæ, & quadraginta integræ ſo-

Digitized by Google

cietates diſciplinatorum quas dicunt, locum ſalutarint, quorum tamen numerus cum cętera multitudine & fœminarum præſertim) quæ illis ſe aſſociabant, quæuè extra ordinem huc confluebant, minimè eſſet comparandus, quanta porro animabus ſalus (ex qua diuinorum operum dignitas eſt penſanda) indè obuenerit, velut & cætera haudquaquam relatu facilia ſcribenti commemorando potius quàm enarrando hic ſubijciemus.

Lucè igitur appetentè illius diei quæ ſacram pilam in conſpectum erat datura: ſiue Monte-regali, ſiue in proximo aliquo loco tranſacta nox fuiſſet, ſimul ac ex turri campanâ ſignum dabatur, nouus Spiritus cogitationes omnium, ac totos animos occupabat, venerabundi templum inire omnes ibique humi oculis, animis cœlo defixis, gemitus altáque ſuſpiria emittere, & ſeſe in preces totos effundere, dum cætera multitudo conueniſſet, & eundi tempus aſtaret, Sacerdos memorem temporis orationem habebat, cui cum miſericordiam clamando finem feciſſet, miſericordiam omnis multitudo ſucclamabat, tum impatiens moræ, & ſua ſponte deuotionis plenus & tot inuitamentis incitati locum ſuum quiſque petebat, & ordo quidem idem omnino qui antea: in vultu autem tanto maior deuotio, ac pietas eminebat, quanto propinquiores fiebant loco è quo hæc ipſa emanabant, quæ proinde ipſo acceſſu magis, ac magis creſcebant: vbi verò deueniſſent vnde in ſacram pilam pateret proſpectus, pars corpore toto contremiſcere; pars elata voce miſericordiā ingeminare. Omnes in terram prolapſi humum deoſculari, locum conſalutare, ſeſe beatos prædicare qui ad illum tandem deueniſſent; mirari deinde

deinde per ſupinas valles longè latéque fuſa agmina facibus collucentia, & immenſum obtinétia loci, obrigeſcere ad cantus clamoréſque varios, quæ terrifico cuncta complebant ſono. ergo multos deſtituebant vires, & velut obſtupefactos miraculum nouæ rei tenebat. Plurimi genibus nixi iter reliquum conficiebant: multi flagellis aculeis argenteis horrentibus ſeu etiam catenis, tam frequentibus ictibus ſe cædebant, vt ſanguine iuxta ac ſudore flueret totum corpus & humum ipſam perfunderet, quorum animos in tātum auerterat à ſenſu plagarū ſpiritualis feruor, vt ni prohibuiſſent circumſtantes, plagis ibi ſe confeciſſent. Has igitur notas ſalubriter commoti animi præ ſe ferentes, ad ſacellum quantum poterant accedere feſtinant; id nempè non modici laboris plerúmque erat, iam enim multitudo eorum qui aduentarāt non modo vias, ſed totam impleuerat vallem. Ante tamen quàm è regione Imaginis ſacræ orationi ſe darent, hāc iiſdem ſeruatis ordinibus nouena conuerſione ambibant, qui mos ab incolis cum forte cœpiſſet, conſtanti pietate velut penſum loci etiam in exteris perſeuerauit ad hanc vſque diem, quod cum Deus ipſe non vno argumento comprobaſſe ſit viſus, plurima in nouena illa rotatione miracula contigiſſe ſatis conſtat, integræ etiam ſocietatis ſuos orbes obeuntis faculas, vi ventorum iam extinctas diuinitus excitato igne rurſus effulſiſſe memoriæ proditum eſt. Quamquam hoc à præpeditis Notarijs in alijs miraculis conſcribendis minimè fuerit, ſicut illud, eorum tabulis conſignatum.

QVOMODO APVD SACRAM Pilam,& in receſſu ſe haberent.

CAPVT X.

QVæ ad iter peregrinantium pertinebant ſuperioribus capitibus expoſuimꝰ (res etſi per ſe difficiles) tamen ſicut tum ſenſibus patebant, ſic quæ nunc aliqua ratione referri poſſunt. Longè difficiliora relatu quæ perpetuò ante ſacram pilam accidebant cum ipſa origine, vt pote quæ inuiſibilis per ſe eſſet tum quod effectus ipſi tam multiplices, tam inauditi tamque admirabiles erant, vt non tam eos explicare quam ſilentio non prętermittere decreuerim: ne vero ſoluta paſſim vagetur oratio illos omnes, vel ad ſpiritualem fructum in genere, vel ad odij deteſtationem, vel ad gratias, ac miracula in vniuerſum, vel ad modum quo hęc illæuè fiebant, vel ad ſtudium denique quo quiſque erga locum afficiebatur pertinuiſſe dicemus, ac ſingula proprijs capitibus explicabimus, poſtquam tamen peregrinantium iter ad exitum hoc ipſo capite fuerit perductum.

Vt quiſque ergo in vallem deuenerat, viſendæ cominus Imaginis ſacræ deſiderio incenſus, quà confertiſſima turba erat impreſſionē dabat, ſeſéque ante altare eijciebat, ibi nixis genibus nūc ſupinas, nūc cancellatas manus ad cœlum, & ad ſacram Imaginem tendens, cum effudiſſet in conſpectu Domini Dei ſui totam animam ſuam, totis ſenſibus, & animis in illa deſi-

xus hærebat. Id vtique cuiuis perſuaſum erat ſe non terreno ſed longè auguſtiori, ac prorſus diuino loco conſiſtere, hunc eum eſſe locum ſuccurrebat vbi ſupplicibus ſuis tam ſedulam mediatricem ſe exhiberet, Beatiſſima Virgo, vt quidquid orantes peterent acciperent; hunc eum eſſe locum cuius celebris fama totum Chriſtianum Orbem impleſſet, cuius viſendi ſtudio omnes exardeſcerent, in eiuſque rei gratiam tot gentes nullo ſexus ætatiſue diſcrimine ſuis ſedibus excitæ tam ingentes labores exantlarent; hunc eum eſſe locum, vbi cæcis viſus, ſurdis auditus, claudis greſſus, mutilis ac mancis optata membra, debilibus eorumdem vſus concederetur; hunc eum eſſe locum, cuius reſpectu infirmi quiuis ſanitatem, naufragantes ſalutem, cōpediti liberationem, in quouis periculo conſtituti incolumitatem conſequebantur; hunc eum eſſe locum vbi obſtinatis pœnitentia, accenſis odio fraterna charitas, peccatoribus gratia infundebatur; hunc denique eum eſſe locum, in quo tam corrupto, & ærumnoſo ſęculo diuina bonitas ſuæ Matris precibus quodammodo fatigata, tum temporalium, tum ſpiritualium aperuerat gratiarum theſaurum. Hæc de loci maieſtate animo agitantes tanta eius reuerentia capiebat, vt diu hiſcere non auderent. Plurimi integrabant lachrymas, alta ſuſpiria emittebant alij, alij ingentes edebant gemitus: omnes in vniuerſum in ſpem erecti quidlibet impetrandi, ad preces conuertebantur.

Intereà Sacerdos ſacrificio Miſſæ peracto his qui parati eſſent ſacram Euchariſtiam adminiſtrabat, quo cumulatiorem ſuę peregrinationis fructum referrét: Orationi, ac contemplationi mirabilium eorum quæ

ibi Dominus faciebat quantum non quidem exigebat feruor ſed multorum imbecillitas mouebat, cum indulſiſſent, rectorum iuſſu inde diuellebãtur, muneribus quæ vel priuato, vel publico nomine offerenda erant ſacelli cuſtodibus traditis, tum digreſſi quieſcentes, quod ipſi nuper ſpectaculum aduentantes præbuerant admirabundi in alijs ſpectabant. Nam non vallis modo proſpectantibus ex decliui collium, ſed colles etiam recentibus agminibus referti ſpectaculo in valle conſiſtentibus erant, quorum pietatem qui aduentabant varijs apparatibus, ac pijs cantibus magis, ac magis excitabant. Hinc Beatiſſimæ Virginis Litaniæ muſicis vocibus, ac inſtrumentis recitatæ, illinc Laudes à Virginibus decantatæ perſonabant, quidam Pſalmos Pœnitentiales mœſto, ac lugubri cantu ſuccinebant: alij ſacris Antiphonis, vel Hymnis animos ſpirituali lætitia mulcebant. Celebrem etiam rem ipſam faciebant ad imitationem variarum perſonarum induti pueri varias actiones exprimentes. Ad hæc accedebant diuerſi aduentantium globi, qui rei nouitate in ſe omnium oculos conuertebant, cuiuſmodi fuit decem nautarum qui ad renes vſque nudi crudeliter ſe verberabant, donec ad ſacram Pilam deueniſſent, vt voto hac ratione ſe exoluerent, quod vt è manibus Piratarum in quos inciderant eriperentur nuucuparant. Non abſimile fuit agmen quadraginta cæcorum qui eiuſdem coloris veſtibus induti Ianuâ huc deuotionis ergo demigrarunt, aliud ue ſexdecim energumenorum Placentinorum qui Beatę Virginis opem imploraturi aduentarũt. Nec prętereundi Cingari quos appellant; hi cum inuiſere ſacram Imaginem, & ſolemni oblatione Beatæ Virginis opem de-

mereri decreuiſſet, vt auerteret rē ab omni ſuſpicione furti, gēs furtis infamis, ex quo locus in cōſpectu fuit, manus poſt terga ſibi cingulis illigandas curarunt; deinde genibus flexis præeunte cohortis duce, ceteris ordine proſequentibus inſtitutum iter ad ſacram Pilam tenuerunt; Ibi ſua oblatione piè defuncti ſunt: & horum quidem hiſque ſimilium nouitate ipſa periucundus erat conſpectus; illorum verò, & periucundus & longè efficaciſſimus, quorum pietatem dignitas ipſa perſonarū inſignem faciebat: nobiliſſimus quiſque eò aduenienſquanto nobilitate cæteris preſtabat, tanto magis ſolidæ pietatis ſpeciem prebebat. In his nonnulli Epiſcopi ſuum gregem boni Paſtores ſubſecuti ſuoſque Cleros comitati nouem circulos pedibus obire quanquam itinere, & ætate propè confecti, ſumma omnium admiratione feſtinabant. Reliqui quātumuis nobiles modo ineſſent vires pedibus illuc contendebant: infirmiores autem vbi ad decliue collium impendentium valli deueniſſent ex equo de ſilientes ad ſacram Pilam lachrymabundi omnes, plerique nudis pedibus accedebant, virorum pietatem muliebris ſexus emulatus, multa inſignia edidit pietatis, nudis pedibus plurimæ, omnes ſimplici, ac honeſto habitu, quędam etiam ſaccis obuolutæ lachrymis perfundebantur, nihil erat denique, vt ſummam rem complectar quod non celebritati loci, animarum ſaluti, Beatiſſimæ Virginis dignitati, ac diuinæ imprimis gloriæ non aptè concinneret.

His ſpectaculis ita defixi hærebant qui antea alijs ſpectaculo fuerant, vt cibi quietiſque immemores propè defeciſſent, niſi imperia prouida rectorum laſſitudini eorū timentium (quod raptim, & ieiunum

proximo ex loco vbi noctem exegerant traductum agmé eſſet) corpora curare coegiſſent. Integrum diem ibi commorari mos erat, vt omnia perluſtrare, & votis ſuis plenè ſatisfacere quiſque poſſet. Quamquam verò nonnullis quæ neceſſaria eſſent comportandi cura fuiſſet; id tamen miraculo non exemit ciborum copiam quæ iſtuc eſt conuecta. Hęc ſi quidem tanta fuit, vt cuiuis multitudini ſine præparato commeatu eò commigrāti abundè ſufficeret; ac non in vſum modo præſentem cibaria ſuppeterent, ſed quod domos aueherent plurimi compararent, tam vili pretio omnia veniebant etiam è remotioribus locis comportata. Quam rem eo magis ſumus admirati deinde, cùm inter hæc quę nuper graſſabantur bella ſæpè viderimus, nulla Magiſtratuum, qui commeatibus expediendis perficiebantur ſumma cum authoritate adminiſtrata impe[illegible] id obtinere potuiſſe: quin ſenis, aut ad ſummum denis hominum millibus panis non deeſſet: Et reuera ſi huc confluentium multitudo prædefinita fuiſſet id minus miraculi eſſet, ſed ea nec certò numero conſtabat, & tam ingens erat, vt per multos menſes feſtis præſertim diebus ſupra viginti plerúmque, ac etiam quadraginta millia, aliquando etiam ſupra centum millia mortalium potuerint recenſeri.

Multum verò commodi ac ſolatii præbuit perennis fons aquæ ex colle circiter mille paſſus diſtante qua ligneis tubis, qua cunicularijs ſubſtructionibus in Plateam Eccleſiæ deriuatus, vbi in marmoreum vas affabre factum à Claudio Taparello ex Lagnaſci Dominis viro genere iuxta, ac pietate illuſtri oblatum multis ex orificijs effunditur. Id etiam Beatæ Virginis ſingulari munificentiæ tributum, quod per eos

ipſos dies haud procul ab ipſa ſcaturigine fontis fortè repertum terræ genus, medicinalem vim ad plurimas infirmitates propulſandas in ſe cohibentis, quæ idcirco ab ipſa Beata Virgine de Monte-regali nomen accepit, vt quam opem infirmantibus nulla naturali vi media ſuis precibus eò aduentantibus conferre ſolet, huic terrę inſita vi loco etiam diſſitis quodammodo communicet. Multa etiam tuguria tota paſſim valle erecta aſſeribus, telis, arborum ramis, ita vt locus poſtulabat, aut materia ſuppeditabat contecta, non tam ad capiendam quietem quàm ad cibaria coquenda, & apponenda menſis, & ſiquidem in aliquibus erant lectiſternia; tamen quod nec multa eſſent, nec ſatis cõmoda ſub dio dilapſi ab Eccleſia pernoctabant plerique ſparſi tota valle, pars cantibus vacans, pars orationi inſiſtens, quidam taciti meditantes, quidam çibo ſe reficientes, quidam etiam ſomno ſtrati: ſumma igitur admiratione dignum fuit quod in tanta, tamque promiſcua turba virorum, mulierum, puellarum, ac infantium ipſis etiam canicularibus diebus nullæ contractæ ſint ægritudines, ægritudinúmue cauſæ ab ijs ipſis qui non modo tot ſimul incommoda ſubire, ſed conſuetis delicijs vix temperare ſine valetudinis iactura alioqui potuiſſent, verum aut corpus animo, aut animum pietate ſuſtinentes, aut certè ipſa B. Virgine vtrumque corroborante, itineris fatigationem, vigiliæ incommoda, inediæ cruciatum, noctis inclementiam, æſtatis feruorem, autumni intemperiem, loci grauitatem, aliáque mala ita tolerabant, vt ſicut in bono obfirmato animo, ita confirmata corporis valetudine ad ſuos quiſque rediret; id porrò longè mirabilius quod in tanta multitudine nulla vnquam (vt fit

in omni populorum frequentia, communis rixa exorta, nulla priuata odia erupuerunt ſed ſumma pace omnia tranſacta, vt verè Dei locus factus probaretur & eſſet. Longiſſimè etiam hinc abfuit omnis ſpecies mali, quod in tam promiſcua turba virorum, ac mulierum nonniſi illius virtute fieri potuit, qui cætera mira operabatur.

Cum igitur omnes niſi quod tantiſper corpus cibo, vel ſomno reficiebant vix meminiſſe viderentur ſe in carne mortali degere, alij toti in Deum raperentur; alij quæ circum ſe fiebant mirabilia contemplarētur, dies inopinantibus adueniebat, quo illuceſcente ſub ſuis ſignis contracta multitudo omnis ſacellum repetebat. Tum manare iterum lachrymæ, exaudiri fremitus, precibus ac votis in vnum confuſis iterari tremores & caſus, in multum diei procedebatur, coerceri tamen ab effuſo orationis ſtudio nequibant; coacti tamen rectorum imperio precationi modum imponere, ita ab Oratorio digrediebāturvt præ ſe ferrent moleſtiſſimum ſibi eſſe diſceſſum, locum repetere quamprimum poſſent plurimi ſtatuebant, vtque loci ipſius deſiderium lenirent, terram quæ circa erat, quæque lachrymarum ac ſanguinis imbre madebat egeſtam inde ſecum aſportantes pro reliquijs habere: roſaria aut coronas quas dicunt Imagini admouere; in cuius rei gratiam plurimi mercatores, qui earum copiam præberent inibi fixerunt ſedem. Cum denique ſacram ædem, in qua numen tot argumentis præſens erat relinquentes exirent, & iam continens agmen migrantium impleret vias, ſilentium triſte ac tacita mœſtitia ita defigebat omnium animos, vt præcinentibus: *Aue maris ſtella*: *Te Deum laudamus*, vel quid ſimile pro

commeatu,

commeatu, occinere vix quiſquam poſſet, & ſingultibus magis ac ſuſpirijs reſponderent. Conſpectus deinde aliorum qui aduentabant integrabat lachrymas, vocéſque etiam mirabiles exaudiebantur conquerentium, quòd à tam beato loco diuellerentur: quódque viſu eorum quæ ibi fiebant fruſtrari ſe paterentur, quidam longioris abſentię impatientes cùm primum agmen diſſoluebatur eò conuolabant: plurimi per nouem dies inſtituta pietatis exercitia continuabāt, adeò eorum quæ viderant quam cæterorum quorumuis memoria præſentior erat. Abſcedentes autem, vt ad iuga collium qui vallis cóſpectum erant ablaturi perueniebant, ad ſacram Pilam conuertebantur, & reſpectantes quàm inuiti proceſſuri eſſent, quod lachrymis, quod verbis, quod oris habitu poterant monſtrabant. Ea vna erat ad Beatam Virginem omnium proteſtatio, ſe quidē corpore diſcedere; animos vero apud eam defixos habere. Lógiùs digreſſi occurſantibus illa eadem prædicabant, quæ aduenientes audierant; eſſe locum in terris qui in cœleſtem Paradiſum commutatus videretur. Tum ſingula relatu digniora quæ viderant concelebrare, profectique domum certare cum obuijs gaudio, eadémque tam conſtanti relatione repetere, vt qui vel familiari aliquo negotio, vel alia de cauſa domi diſtenti fuerint, eiuſdem itineris obeundi dilationem iam pati neſcirent.

Digitized by Google

QVINAM FRVCTVS IN gratiam animarum prouenerit.

CAPVT XI.

QVANTVM vero ſpiritualis vtilitatis ex eo itinere vnicuique proueniret eò difficiliori negotio, vel ab alijs tunc dignoſci, vel nunc à nobis explicari poteſt, quo hæc externis ſenſibus minimè patuit: quis tamen ad res diuinas tam rudis qui tot tantóſque motus animorum, ſine aliquo animorum fructu Spiritum Sanctum ciuiſſe putet? Certè ſi hunc ex ſollicitudine in euitãdis peccatis quæ apud peregrinantes elucebat colligere licet, is vtique vberrimus fuit. Neque enim ea ſollicitudo ad id temporis duntaxat quo hi motus durarunt: ſed ad vniuerſæ vitæ probam inſtitutionem pertinuit, vt enim hæreticos eos prætereamus, qui experimenti ſumendi cauſa eorum quæ vulgabantur huc venientes, poſtquã omnia quorum nos inſimulant illorum Miniſtri procul abeſſe, omniáque diuina virtute fieri cognouiſſẽt, priſtino errore abiecto Catholicæ Eccleſiæ nomen dederunt: certè Catholicos tanta peccatorum pœnitentia capiebat, quæ vtique ianua eſt ſalutis, vt hoc vnum in hac re tota egiſſe ac quæſiuiſſe Deum appareret. Argumento erant aſſiduæ confeſſiones quibus audiendis nullus Sacerdotum numerus ſufficere poterat, etſi plurimi antequam domo diſcederent hoc Sacramento rectè defuncti eſſent, tanta aduentantium oculis animiſque offundebatur religio, vt eos etiam

qui iam peccata expiaſſent, eadem diligẽtius expiandi deſiderium maceraret, tanquam ſibi dici audirent illud Apocalypſis [Qui Iuſtus eſt iuſtificetur adhuc] Apo. 22
Et qui confeſſione Deum necdum placaſſent, quamuis in peccato obfirmato animo veniſſent, nihil antiquius habebãt, quàm vt peccatis abſoluerentur, illud de hoc ſacro loco exiſtimãtes dictum quod idem ſubdit Apoſtolus, [foris canes, & venefici & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis qui amat, & facit mendacium.] Vtriſque autem tam acriter nunc pœnitentia, nunc indignatio animum ſtimulabat, vt perpetuò alibi gemitus, alibi tunſiones audirentur; in lachrymas plurimi reſoluebantur: quidam etiam ab ejulationibus ægrè temperabant, quibus vociferabantur ſe ſatis ſcire, & verè ſcire, & idipſum diuinæ bonitati confiteri indignos ſe eſſe qui in loco tantæ ſanctitatis conſiſterent: qui tam venerandam Imaginem contemplarentur, verum illud etiam ſcire poſſe eam quæ adeo præpotentem ſe probaret ad quiduis impetrandum, auerſum ac iratum ſibi filium propitiare. Hæc & his ſimilia accuſantes, & querentes muſſabant, quibus anceps ſpes metúſque miſcebat animos. Alij quibus vis doloris lachrymis occluſerat viam ſecretius cũ Beata Virgine negotium peragebant.

Quidam ſtimulis conſcientiæ perciti, & quodammodo extra ſe acti, quorum peccatorum confeſſioni ad eum diem obſtiterat verecundia, ea nunc elata voce fateri, exemplo ſi non imitando, non inutili tamen, plurimi ne hoc idem ſibi accideret ad pedes Sacerdotum procurrebant; maximo etiam vſui fuerunt ad hác pœnitentiam excitandam, puerorum puellarúmque orationes, quas diuino afflati Spiritu, vt ex fructu qui

Digitized by Google

inde proueniebat coniectare licuit, ſupra modum ætatis habebant. A quibus audiendis ſicut, nec ab effundendis lachrymis doctiſſimi quique, ac Prælati ipſi vlla ratione ſe tẽperare poſſent, quem morem tamen cum alij paſſim non eodem inſtincti Spiritu, vt alibi dicetur, ſed ſua ſponte aut dæmonis opera imitarentur: qui loco præerant tollendum curarunt. Sed nihil adeo obſtinatorum peruicaciam fregit, ac quorumdam factum qui nulla habita ratione dignitatis loci, humanis diuiniſque obruti ſceleribus eo ſe conferentes, diuinæ iuſtitiæ nondum ad eum diem auditum exemplum, malo ſuo præbuere, Deo ſcilicet in manus Sathanæ eos tradente, vt Spiritus ſaluus eſſet in die Domini. Furijs quidam agitati ſonum vocis pulſu pedum modulantes velut ad citharædi modos aliquandiu ſaltarunt, quia nimirum, vt ex illorum confeſſione poſtea cognitum eſt, quo tempore huic itineri ſe comparare precibus, & pœnitentia debuerant prauo exemplo ſaltibus, & choræis indulſiſſent.

Adoleſcens etiam quidam qui matri manus cum intuliſſet, tanti ſceleris ſibi malè cõſcius cum plurimis ſocijs huc contendebat, & ad duo millia paſſuum loco appropinquarat; detractis abiectiſque veſtibus, cum deſiluiſſet ex equo, velut phanatico inſtinctus curſu, genibus ac manibus innixus humo per deuia iuxta, ac peruia ſaltus more velociſſimi quadrupedis [illegible] dare cœpit. Nec curſui finem prius fecit quàm ad ſacram Pilam deueniſſet; ſtupore defixi comites primo ſteterant, vbi ea velocitate qui equorum curſum æquaret, longius digreſſum viderũt ſubductis calcaribus quantumque potuerunt effuſis habenis proſequentes minime ſunt aſſequuti: Vt ad locum ventum eſt ante

ſacram Imaginem orantem repererunt, ac ſui ita compotem, vt nullum eorum quæ acciderant ſenſum haberet. Nec forſitan crediдиſſet niſi volarum, ac genuũ laceratio quæ intuentibus horrori erat, dictis comitum feciſſet fidem. Multò infœlicior tamen cuiuſdam aurigæ exitus fuit, quod ſcilicet ex Diui Gregorij ſententia principium æternæ damnationis ea diuina punitio ſit, quæ peccantem hic non emendat; is cùm nobiles quoſdam viros ſua rheda huc adueheret, inque viam cœno obſitam deueniſſet in blaſphemias erumpere cœpit, eaſque adeo horrendas, vt vectoribus terrorem incuteret: monent igitur & obteſtantur, vt ab ijs abſtineat, addentes ni faciat ſe egreſſuros ex rheda, ne eadem qua ipſe dignus erat, quamquam non falſi vates ominabantur, inuoluerentur pœna, ex quo eò dementię eſt adductus, vt diceret, vere paruum negotij habere Deum ſi quæ ipſe diceret faceretue perpetuo curaret Cum ab ijſdem coercitus adeo non ſe temperaret, vt etiam majores euomeret blaſphemias, & iam altercationi res propior eſſet, illius improbitati ad tempus cedendum rati, ſuo loco Sacræ Inquiſitioni illum denunciare ſtatuerunt: ſed non tulit tantas moras diuina vindicta, vixè veſtigio iumenta egerat, cum ad locum deueniunt, vbi rupes abſciſſa anguſtam, lubricam ac in altam foueam præcipité præbebat viam, ex qua prolapſus vnus equorum cæteros qui ægrè ſuſtinere ſe à lapſu poterant ſuo ſecum pódere abripuit, quos dum auriga per antemonem effuſus proximè ſequitur, incitatis rotis infamem ceruicem obterendam ſubjecit: vt qua parte blaſphemias euomuerat, ea primum iuſtas penderet pœnas, in quo eo magis diuinæ prouidentiæ in quam ille iocabatur exemplum emi-

Greg. l. 5. Moral. c. 29.

cuit, quod nihil incommodi ex tanto caſu perpeſſi vectores ipſaue iumenta vno tantum amiſſo auriga ad ſacram Pilam incolumes peruenere.

Hæc & alia eiuſmodi quæ ad obſtinatorum emendationem Deus fieri permittebat paſſim peruulgata à vecordi ſocordia deterrendo ad ſanitatem flexerunt: vt qui adibant locum alienis malis vtili exemplo edocti, omnes conſcientiæ ſuæ latebras perſcrutarentur, ne quid in ijs lateret quod in ſimilem euētum eos adducere poſſet. Hinc tota paſſim regione immutati mores, ita vt homines repentè alij viderentur facti, peccandi occaſiones præciſæ, quæ iniuſtè detinebátur reſtituta, Sacramentorum longe magis quàm antea frequentatus vſus, ludi in proceſſiones, cantilenæ prophanæ in ſacras odas vulgò commutatæ, ante omnia ſimultates, & inimicitiæ quæ vtique plurimæ eæque graues exercebantur ſublatæ. Qua in re quoniam tam multa memoratu haud quaquam indigna per eos dies contigerunt, vt ex eo nomen loco ſit inditum non abs re erit proprio capite hoc exequi argumentum.

Digitized by Google

DE VI RECONCILIANDI animos inuiſentium ſacram Pilam.

CAPVT XII.

QVAMQVAM igitur peccatis omnibus indici bellum, apud ſacram Pilam tanquam apud Dominica caſtra ſatis appareret, cum inimicitijs tamen, & odijs interneciuum duellum Beatæ Virgini fuiſſe ſatis conſtat: vt enim prætercam eiuſdem Beatæ Virginis precibus acceptum ferendum eſſe, quod cum pridem ſub-Alpina Italia bello flagraret velut ex inſperato exorta ſit quies, expugnatis ſcilicet munitiſſimis arcibus Bricheraſio & Caburro, quas hoſtis nec opinato in eam regionem irrumpens inuaſerat, ipſoq; hoſte Italia exacto: certè quæ circa priuatas animorum reconciliationes eo tempore adhuc ſacrum locum aduentantibus contigerunt talia ſunt, vt vere de eo dici poſſit [& factus eſt in pace locus eius] Simultates ſiquidem ac odia in ijs qui huc conueniebant ita ſe abominari ſignis ac portentis ſignificabat Deus, vt perſuaſum omnibus eſſet non poſſe quemquam propiorem loco fieri, qui aliquod in proximos gereret odium vel qui non ſyncera fide in gratiam cũ inimicis redijſſet. Quæ Religio quomodo in animos hominum irrepſerit exempla quæ hic ſubijciemus edocebunt.

Non longè ab eſt à Vico Eccleſia ſancti Ioannis,

Digitized by Google

ad eam cum perueniſſet Societas quædam diſciplinatorum quæ pro vexillo Crucifixi Saluatoris Imaginem portabat, veſtigio hæſit immobilis, ibi cum qui proximè ſequebantur conſtitiſſent, miranti Patrocho quæ res moraretur agmen, nunciatur anteſignanum dimoueri loco nequaquá poſſe occulta quædam vi illum retinente: ſtupens Parochus ad primos ordines procedit, adimit ſignifero crucem velut gradum ipſe prolaturus, ſed in irritum ceſſit omnis eius conatus, tum horrore perfuſus ad agmen conuerſus. Filij, inquit veſtrum quiſpiam graui ſcelere fœdatus eſt, ex quo fit, vt ad tam dignú locú accedere minimè detur, qui alicuius grauioris criminis ſibi eſt conſcius pœniteat, ac confiteatur; tacentibus omnibus, ac metu torpentibus cruce iterum ſublata omni vi progredi denuo adnixus fuit, cum res non procederet reddita cruce, & aduocata concione in eandem Eccleſiam qua potuit efficacia omnes cohortari, & obſecrare pergit, vt qui aliquo ſcelere eſſet contaminatus, ne vellet in cauſa eſſe, vt illius noxa tantam multitudinem ab ſalutanda ſacra Imagine arceret, ſuique itineris fructu priuaret, poſteaquam non alio ſpectare poterat tam prodigioſus euentus. Sub hæc dicta iuuenis quidam e media prodiens concione lachrymabundus, ac tremens quemdam ex ijs qui aderant ſe ſummo proſequi odio faſſus, cum eo inibi in pacem redijt; qua vixdum inita, ecce duo alij ſe in mediam dantes concionem quæ in alterutrum iamdiu alebant odia primo velut ex compoſito confiteri, ſimulque in oſcula ruentes certatim alter ab altero pacem veniámque manentibus pro cotritione lachrymis obnixè petere, ad quod ſpectaculum omnes facile ſunt perſuaſi id vnum ob-

ſtitiſſe

ſtitiſſe quominus ſacræ Pilæ appropinquare poſſent, nec eos feſellit opinio ſublatis ſignis,& agmine diſpoſito cœptum repetunt iter, & nulla iam re eos retardante ad ſacrum deueniunt locum, quem eò impenſius coluere, quò iam quanta eſſet eius ſanctitas animis percepiſſent. Alius quidam dum inter agmina diſciplinatorum ſui oppidi ſacro appropinquaret ſacello, fortè euenit vt ex ſupercilio haud procul diſtãtis tumuli in alio agmine diſciplinatorum quendam cõſpexerit, quocum veteres iamdiu exercuerat inimicitias; & quamuis per internuncios priuſquam domo digrederetur in pacem redijſſet; quia tamen illum nondum fuerat alloquutus nonnihil ex reſidua, & veteri ſimultate retinebat. E medio igitur ſociorum ſeſe proripiens illum citato curſu rectà petit, id vt animaduerſum eſt ab conſcijs veteris ſimultatis contenta voce ipſum procurrentem, vt ſiſteret gradum, inimicum eius, vt ſibi caueret inclamabãt; veriti ſcilicet, ne per occaſionem inimici inermis ſibi oblati aliquod priſtinæ ſimultatis ederet exemplum: ſed dum nihil hæ voces procurrentem morantur, & alter ſtupens cum cæteris, vt in re trepida hęret, prorumpit ille in mediam aciem, ac huius genibus aduolutus, ſublato gemitu, & cum pectoris tunſione veniam petere cœpit (& fuerat ipſe iniuria laceſſitus) ac ſeipſum incuſare quod immemor præceptorum Dei, immemor Chriſtiani inſtituti aliquandiu illum odio habuiſſet, & antequam cum illo in veram amicitiam redijſſet tam ſancto loco auſus fuiſſet appropinquare, qua re ex alterius animo non modo omnis ira cecidit, ſed in lachrymas, ac gemitus reſolutus & ipſe, tanto illum eſt complexus amore, vt poſt multa verè reconciliati

animi ſigna vix ab eo diuelli potuerit, ad quod religioſum ſpectaculum comploratione coorta circonſtantium in ſacellum itum eſt, vt gratiæ Beatæ Virgini haberētur, cuius precibus talem in modum quantumuis durata odio immutabantur hominum corda.

Sed id ipſum loco ſolemne erat, vt qui aliquo execrabili licet, ac veteri odio inter ſe exarſiſſent; ita vt nullis amicorū officijs, nulláue principum opera, vel monitu reconciliari potuerint, nec opinatò alter alteri obuiam facti, molliente animos Religione loci velut ex condicto repentè ad genua conciderent, & in amplexus & oſcula ruentes, ſe in petenda venia, vt præuenirent ſumma Religione, ac humilitate certarent. Et iam vſu venerat, vt nemo illuc profecturus domo diſcederet, qui antea non moneretur, vt niſi reconciliatus eò accedere auderet, quod ſi quis id minimè præſtitiſſet, vbi primum in conſpectum locus ſe illi dabat, tum veluti aër ipſe molliret iram, charitatis Spiritum ſibi infundi ſentiebat; nec id tantum inter infenſos diuturno odio priuatis de cauſis duntaxat videre fuit, verùm in communibus odijs quæ tum inter circumjacentium locorum incolas qui certamine factionum ad inteſtinum bellum per id tempus maximè exarſerant, tum inter diſciplinatorum ſocietates plurima vigebant, in cuius reconciliati animi teſtimonium cum ſibi obuiæ quæuis ſocietates fierent, qui Crucifixum portabat, alterius ſocietatis Crucifixo ita illud admouebat, ac ſi alter alteri oſculum ferret, vt in ſignis ſuis ſinguli eorum alterius ſocietatis homines animo amplecti, ac ſalutare inuicem in oſculo ſancto hac pia actione teſtarentur: ſed abs re non erit initæ pacis inter finitimorum locorum ac-

Digitized by Google

colas vnum, aut alterum exemplum proferrè, quæ eò mirabiliora cenſenda erunt quod non primarum retinendarum ſtudium, vt in ſocietatibus diſciplinatorum; ſed ob minus certos fines perpetuæ lites, & quæ has conſequebantur homicidia, plurimæque aliorum generum vltrò citróque tam priuato quàm communi nomine illatæ iniuriæ internecina alebant odia.

His itaque odijs cum accolæ duorum oppidorum, quorum alterum Imperatori, alterum Ianuenſibus paret, inter ſe conflagrarent; ita vt in alterutro multi milites ad inferendas, ac propulſandas iniurias perpetuo in præſidio eſſent, accidit, vt rumor eorum quæ omni admiratione digna apud ſacram Pilam agebantur animos incolarum loci Imperatoriæ ditionis ad illam inuiſendam permoueret: quod cum ob metum tam infenſorum, ac propinquorum hoſtium præſtare non auderent, duos ex ſuis eò deſtinarunt ſui populi nomine ſupplicaturos Beatæ Virgini, vt quæ tot mirabilia in gratiam ſupplicum ſuorum operari non ceſſaret, hoc etiam à filio obtineret, vt finem tandem acciperent tot mala, & pax inter eos conueniret, ad quam obtinendam iam ſatis illis conſtabat nihil in hominibus opis eſſe. Nec legatio inanis, nec ſupplicatio irrita fuit, ſed exaudiuit deprecationem eorum Beata Virgo, & Dominus orationem eius ſuſcepit. Ad ſuos peracta legatione redeuntes in Eccleſiam conceſſerunt, vt populo qui fortè ad audiendas Veſperas eò conuenerat animos facerent ad pacem ſperandam à Beata Virgine, enarrando mirabiliora alia, quæ in illius opem apud ſacram Pilam implorantes perpetuò operabatur Deus, Veſperis vix dum abſolutis tantus repentè horror inuaſit omnes, qui in

Eccleſia erant,vt ipſi legati, & alij plurimi in terram delaberentur,ac mirum in modum trementes aliquádiu humi iacerent, vbi verò ſurrexiſſent,cum ipſi legati de loci quem adierant Religione, ac ſanctitate diſſerere cœpiſſent,nonnulli tam virorum quàm propemodum infantium puerorum, ac puellarum diuino afflati Spiritu, tot præconijs Virginem ſanctiſſimam efferre,tanta,quæ nec pro ætate,nec pro cæteris conditionibus eloqui poterant de Dei in homines bonitate, ac benefaciendi propenſa voluntate prædicare cœperunt, vt communi comploratione exorta omnes miſericordiam inclamarent. Affuit tum fortè ex Auguſtiniana familia Sacerdos quidam Baccalaureus, vt dicunt in Sacra Theologia. Is vbi ſe horrore perfundi ſenſit,ne cum cæteris promiſcuè caderet in proximam cellam ſe recepit: ſed vbi conſiſtere non valens in Eccleſiam redijt,vbi cum ante quoddam altare ipſi Virgini ſacrum oraret ter horrore correptus tertiò eſt in terram prolapſus. Inter hæc quidam ex Dominis loci,vt præſens cerneret quæ in Eccleſia fieri acceperat,in eam ingreſſus pari modo in terram delabitur. Tum verò reſurgens iniecto ſibi ad collum fune,arreptóque Crucifixo hortatus eſt cæteros,vt ſequerentur ſe ad inimicos euntem, ac ab eis vellent nollent pacem impetraturum,veritus Auguſtinianus ne vbi illi hos inermes accedere vidiſſent, ab impotenti odio aliquod crudelitatis facinus in eos edere minimè dubitarent,illos vt præmoneret præcucurrit, quibus conuentis cum hortaretur ipſos,vt aduentantes hoſtes ad petendam pacem ijs animis exciperent quos,& Chriſtiana pietas, & tam inſigne humilitatis exemplum poſtulabat, adeo ab ijs non eſt auditus, vt

propè violatus fuerit,rati optimam ſe nactos eſſe hoſtilis oppidi delendi occaſionem,ad arma ruunt; cui malo dum Sacerdos vt poteſt obſiſtere conatur, vnus ex ijs pectori eius ſclopum admouit,quem vtique exploſiſſet,niſi repentè obfuſa oculis animóque reuerentia, habitus ſacri, ac Crucifixi Imaginis quam pr manibus habebat temerarios Spiritus retudiſſet, intereà in venientes impetum facturi illis obuiam fiũt. Sed,ô rem mirandam! vix dum in conſpectum dant ſe hoſtes, cum his tanta violandi ſupplices impoſita eſt verecundia,tanta ſimul veteris odij, & iam concepti facinoris pœnitentia eoſdem cepit, vt repentino concurſu vltrò omnes referrent pedem,abjectis deinde armis ad Eccleſiam contendunt,vt & ipſi ſaccis induti, & Crucifixo prælato hoſtium agmini majori cum Religione obuiam irent, ad quos iam loco appropinquantes cum deueniſſent; quis referre queat, quænam verè reconciliatorum animorum, ac Chriſtianæ charitatis ediderint ſigna,vt ſe quiſque offerebat in oſcula ruere; collachrymari ſimul,ac ſe incuſare quod tam dulces fratres tanto odio fuerint perſecuti. Itaque alter alteri hærere,vt à ſolo ſtudio amplexandi cæteros, ac eos in primis quibuſcum præter communem aliqua etiam pręcipua inimicitia interceſſerat, diuellerentur. Secundum hæc aliáque officia quæ profuſa in hoſtes charitas diuinitùs inſpirata, teſtandę recóciliationis gratia exigebat,vno agmine ex duobus compoſito ad Eccleſiam iter inſtituunt; ibi iterati tremores, ac delapſus iam ſatis per ſe motos animos etiam,atque etiam permouerunt, inde vno eodémque agmine ad oppidum ex quo priores diſceſſerant omnes contendunt, in quo equidem

Digitized by Google

neuter animi habitus ſatis dici enarrarique poteſt, nec quo incerta expectatione euentus fuerint, mulieres cæterique alij qui alia de cauſa domi reſtiterant poſtquam inermes ſuos ad infenſiſſimos hoſtes properantes viderunt, nec quo tum ſuos tum eos modo quos pro hoſtibus habebant diuinas odas canentes, & pacem acclamantes acceperunt: Auxit lætitiam quod in ipſo itinere pulchrior quàm pro humano habitu auguſtiorque matrona duabus comitata velut ancillis ſeſe illis quaſi illorum paci congratulans ſpectandam præbuit. Quam Beatam Virginem fuiſſe omnes haud dubiè crediderunt; cui non modo tam inſperatam ac ſalutarem pacem, ſed quæ ſtatim ſequuta ſunt miracula accepta ferebant: hydropica enim mulier inter ipſas congratulationes repentè conualuit: veteri ſciatica laborans liberum ſe ſenſit: duabus item fœminis & mundati oculi & reddita lux ipſa, cum alteri puſtulæ quas variolas dicũt, dextrum oculum deformaſſent ac obcœcaſſent: alteri vtriuſque aciem cataractæ obnubilaſſent. Cum omnes igitur tanta cœpiſſet lætitia vt vix compotes mentis eſſent, nec qua alia ratione pro tot muneribus Beatæ Virgini; referrent gratias occurreret è veſtigio ad ſacram Pilam inuiſendam ac conſalutandam ſe contulerunt, tantaque concordia coaluerũt eorum animi, vt propè in obliuionem venirent, quo ex loco quiſque ortus eſſet, qui modo efferati odio iraque nihil niſi alterius exitium animo penſitabant.

Conſimili odio ad inuicem cum exardeſcerent incolæ duorum oppidorum Mediolanenſis ditionis conſimili plane modo ſunt conciliati. Adeo internecinis odijs, quæ ab auis ac proauis hæreditarant, al-

Digitized by Google

terum alteri infenſum erat, vt nulla hominum induſtria nullis officijs ſuorum Prælatorum remedij aliquid adhiberi potuerit, iniurijs, homicidijs cæteriſq; malis, quæ vltrò citroque ſibi perpetuò inferebant. Cum itaque alterius loci incolæ ad ſacram Pilam iter inſtituerent; illorum aduerſarij ob æmulationem magis quàm ob religionem eodem defungi ſtatuerant. Montem Regalem igitur compoſito agmine non itineri magis apto quàm prælio : ſi res ita tuliſſet proficiſcuntur, loricis ſcilicet ſub ſaccis induti, fœminis vehiculis, & ſi quæ alia erant impedimenta inter vtramq; aciem ſtatutis, ne incautè ab hoſtibus opprimi poſſent, Cathedralem Montis-regalis Eccleſiam ingreſſi fœminis in odeum ſe recipientibus, hi ſiniſtram, illi dextram Eccleſiæ partem tenuere. Orationi vix ſe dederant, cum ad ſeptemdecim viros, & fœminas nouendecim eodem planè momento deciderunt in terram; vbi diu primùm agitati tremore, dein extra ſe acti & mortuis ſimiles iacuere. In his virgo quædam, quæ extremos hoſtium proxima ſubſtiterat, cum ſe collegiſſet nunc in Crucifixi Saluatoris imaginem quæ ex aduerſo ſtabat pium in modum defigens oculos, nunc Beatæ Virginis Iconem quam præſe habebat lacrymabũda exoſculans, velut ſenſiſſet auditas preces expoſcentium pacem, in hanc tandem vocem erupit: Gratia, Gratia, Ad eam vocem, ad tot caſus & tremores ſimul contremiſcere ſimul colacrymari vniuerſi. Inter hæc iuuenis quidam cuius fratrem haud ita pridem aduerſæ factionis duo germani occiderant, collo obducto fune, ad alterum ſui fratris occiſorem quem inter hoſtes viderat procurrens, & ingemiſcens, hoc fune alligatus infit, his la-

chrymis frater profuſus, quibus madefactum me cernis patrem adire volo, eumque per hũc funem, per has lachrymas obteſtari vt tibi det veniam, & ſi quas pœnas ex vobis erat expetiturus ob necem filij à me expetat. Ego, Ego pœnam omnem luere volo, tibi verò pacis oſculum libens offero, ille ad tot tremores, & caſus obriguerat primùm: tum verò tantæ manſuetudinis in offenſo iuuene oblata ſpecies non fregit animos modò, ſed vt propè amens, obuio amplexum ferret, ac patratæ cædis, & cuiuſuis alterius offenſæ ſupplex ac gemens veniam peteret, adegit. Fletus inde à pleriſque circunſtantium ortus, & res vulgata & Eccleſiam peruagata, alios qui priuata alebant odia ad idem erga inimicos præſtandum permouit, communi odio tamen in integro perſeuerante, vt mirabilior appareret mutatio dexteræ excelſi. Id vnum omnes pertimeſcebant ne digreſſi ab Eccleſia cum ſibi obuiam fierent quod inter eundum, & redeundum vitari, vt ad id loci minimè poterat, dum neutra pars alteri eſſet ceſſura in ſe deſæuirent: verùm quo loco potiſſimum timebatur, ne qui homicida eſt ab initio, ad homicidia, ad cædes illos concitaret, eo ipſo Deus author pacis & amator, vt in admirabilem pacem animi omnium conuenirent effecit. Eccleſiam hoſtiles etiam tum ſpiritus gerentes egreſſi (tanta repentè mutatio animis eſt injecta non iam ad arma, ſed ad amplexus & oſcula ruunt vniuerſi, & tanquam fratres chariſſimi manantibus gaudio lachrymis ſe conſalutant. Nec erga eos modo quos primum obuios fors tulerat id minus obeũt, ſed concurſando nunc hunc, nunc illum, quorum præter communem ob priuatam iniuriam priuatæ inimicitiæ

inimicitiæ cauſa fuerat, amplexantur ac quibus poſſunt humilioribus verbis veniam certatim rogant, nec ante ab inuicem ſeparantur, quam in Chriſtianam omnino amicitiam eorum antea lapidea corda calore diuinæ charitatis ſoluta coaleſcant: hæſit ſæpe ad tam pia ſpectacula ſuſpenſa ciuitas, cum rem ſpeciemque ipſam per ſe admiratione dignam circunſtantium clamor & comploratio ac peregrinorum frequens concurſatio celebriorem faceret. Quæ vis reconciliandorum animorum cum nulli gratiarum quæ huius ſacræ Imaginis reſpectu fiebant poſthabenda cenſeretur, vt locus ipſe Beata Virgo ... De pace diceretur obtinuit.

DE GRATIIS SEV Miraculis in vniuerſum.

CAPVT XIII.

QVOD ſi talem ſe præbebat Beata Virgo erga eos qui obfirmato in peccatis animo corpore duntaxat Imagini Sacræ propiores fiebant: quiſnam vel ſecum reputare poterit nedum ſufficiat explicare quas ſpiritales gratias illis impetrarit, qui qua par erat religione imbuti ad perennem ipſius munificentiæ fontem ſupplices accedebant? Itaque ſuccumbam oneri neque narrare aggrediar quæ dicendo minora velo faciam, ob idque maximè, quòd licet nonnullæ vulgarentur ab ijs qui hanc ipſam euulgationem in partem relatæ gratiæ ducebant, pleræque tamen quæ eſt hominum vere-

cundia ſilentio obuolutæ remanſerint.

Ad corporales igitur, ſiue gratias, ſiue miracula veniamus; quibus enim diuina bonitas eius Imaginis deuotionem excitarat, ijſdem illam ita promouit fouitque, vt hanc rem totam diuinum opus fuiſſe fateatur neceſſe eſt, qui ſimul omnium hominum fidem abrogare, & ſenſus omnes ipſos ægros nedum teſtes fruſtratos eſſe ſuſpicari poſſit. Neque verò momentum aliquod ad tot miraculorum fidem eludendam afferre debet, quòd multa nunciata & credita temerè ſint; quamquam enim huiuſcemodi cauſa erroris in homines retorqueri poſſit, quorum ingenijs inſitum ſit effingere vana auditis, omniáque in prodigium vertere, vbi fuerint Religione mota, eius tamen præcipuus author is habendus erit, cuius cum perpetuum ſtudium ſit animas perdere, Dei gloriæ aduerſari ijs diuinis operibus, quæ ad vtrúmque promouendum magis ſunt apta perpetuò imminet, vt eas ſcilicet ne ſuum ſortiantur effectum, vel reclamando impediat, vel criminando infamet, vel inficiendo corrumpat. Quæ res cum Epiſcopum, vel ipſum ſummum Pótificem minimè falleret, quibus perſuaſum erat prætereà non tam de ſe quàm de futuris quibuſque Eccleſiæ Paſtoribus dixiſſe Paulum, *Dei enim ſumus adiutores*: in illud præcipuam curam intenderunt, ne quod miraculum in vulgus ederetur, de quo quantum humana ratione prouideri poſſet, non eſſet affirmata fides. Ad id igitur, inſtitutum concilium, in quo præter Epiſcopum, & Eccleſiaſticos viros prudentia, ac doctrina præſtantes, quorum nonnullos etiam longius exciuerant, aliquot erant Iuris, Medicinę, ac Chirurgiæ longè peritiſſimi, ne quæ ſcientia deſiderari

1. Co. c. 3

poſſet ad ritè ſtatuendum quidnam diuinæ virtuti, quid vi naturæ, quid humanę fraudi, quid Dæmonum denique fallaciæ tribuendum eſſet. Ante hoc concilium itaque, is in quo aliquod miraculum eueniſſe fama ferebat ſtatuebatur, vbi nō ſatis erat quod ſuam infirmitatem, vel debilitatem, vel periculum è quo emerſiſſet iuratus affirmaſſet, ſed ad id ipſum alios cogebatur adducere teſtes, tum ex ijs qui eum anteà familiariter nouerant erantque infirmitatis conſcij, tum ex alijs, qui dum ſanitatem, vel aliam corporalem gratiam reciperet eum circunſteterant Nec ſatis erat hos illumuè publicè, aut priuatim ſemel interrogaſſe, rémque ſolerter num ita ſe haberet in præſenti diſquiſiſſe, verum plures illum dies ſubſiſtere cogebant per quos rei veritas magis eluceſceret, aut ſenſuum ludificatio frauſuè ſiquæ ſubeſſet, magis pateſceret, dum idem ſæpius examinaretur, ac deſpiceretur teſteſque ipſi ſi res poſceret repeterentur, & ſiquidem minus inter ſe conuenire deprehendebantur reijciebantur, ſi locus, tempus, genus ægritudinis, cæteráque conuenirent, idémque omnibus ſermo conſtaret: tum demum inter miracula recenſebatur, quibus tamen non acquieſcens vigilantiſſimi Epiſcopi indefeſſa diligentia, vt etiam de ijs omnibus certior fieret, ex ijs locis vbi domicilium habebāt ad Epiſcopos locorum ſcriptis litteris egregiam ſanè operam dedit. Neceſſaria ſanè vt in re tanta diligentia, ſed quæ in cauſa fuerit, vt plurima eaque inſignia miracula in incerto manſerint: neque enim parui negotij erat ſtatim, ac miraculum aliquod contingebat Epiſcopum cæteroſque concilio adſcriptos in vnum cogere, cum præter priuatas curas, aliqua prouincia ad locum per-

bemus authores aliqua referamus, non ea affirmãdo quidem, ſed eorum arbitrium relinquendo lectori, vt inde coniectare liceat, quàm multa miracula tum fuerint ſuppreſſa, cùm Epiſcopo cęteriſque qui ijs examinandis præerant tantum negotij faceſſerent perpetui populorum concurſus, quando ijs iam remiſſis idem contigiſſe apparebit.

Huiuſmodi igitur illud fuit, quod Heluetius quidam locum inuiſens, Confeſſori ſuo primùm, tum mihi aliiſque plurimis qui aderant recitauit, ipſius comite illa eadem affirmante: cum paralyſi reſolutus lecto ita decumberet, vt poſt quintum iam annum nullum membrorum mouere poſſet, fortè accidit, vt rediens ex ſub-Alpina Italia amicus quidam eius, diſertè traderet quibus miraculis apud ſacram Pilam coruſcaret. Beata Virgo; ex quo cum in fiduciam quandam erigi ſe ſenſiſſet, ſomno corripitur, dormienti huius ſacræ Imaginis ipſiuſque Sacelli votis aureis argenteiſque, ita vt eſt exornati oblata ſpecies, viſáque ipſa Beatiſſima Virgo iubere, vt huc ad ſe properaret, quando iam ab omni morbo liber eſſet. Nec fuit ſomni vana ſpecies, expergefactus qui captus omnibus membris erat, è ſtrato ſurgit incolumis, domeſticos aduocat, quibus rei nouitate attonitis, ſuſpicantibus etiam ne ex paralyſi in phreneſim decidiſſet, cum viſa atque audita expoſuiſſet, & ſe bene valentem probaſſet, tantus à magno gaudio plauſus eſt ortus, totiéſque repetitus, vt oppidum totum res peruaſerit, adiuuante ipſo noctis ſilentio: cunctis igitur velut ad ſpectaculum concurrentibus, ac per multam viam proſequentibus ad ſacram Pilam decimo quinto die pedes deuenit, benè quidem valens, ſed öris, & totius

corporis habitu, & colore qui illum ex diutina tabe recens conualuiſſe teſtaretur.

Haud abſimile fuit quod per eos ipſos dies, ſub initium videlicet anni 1615. Indidem ex Heluetijs ſcilicet eſt allatum de quadam Sanctimoniali: hæc cum abſceſſu ſeu tumore, quod vulgo gumam appellant toto corpore debilitata iaceret; ipſoque abſceſſu ad ſuppurationem ſpectante non diu victura crederetur de miraculis eiuſdem Beatiſſimæ Virginis ad ſacram Pilam coram ea inijcitur mentio, quæ cum illi ſpem ab effectu haud abhorrentem feciſſet in ſequenti nocte Beata Virgo in ea ſpecie quam hæc Imago præ ſe fert illi ſeſe videndam præbuit: Cumque eam ad benè ſperandum de diuina bonitate animaſſet, digito ad locum doloris admoto tumorem ipſum ita diſſoluit, vt cum an viſioni veritas congrueret diſquiſiſſet, nec illius veſtigium vllum, nec reſiduum aliquod tam longæ ægritudinis in ſe deprehendit. Quod igitur ipſa per ſe non potuit, per duos e familiaribus ſuis præſtare curauit; vt ſcilicet huc venientes ſuo nomine gratias exoluerent, ac lintea quædam & ornamenta altaris, ac miniſtrorum quæ lecto decumbens elaborarat offerrent. Ab ijs igitur res tota ſicut eam retulimus accepta.

Verum enimvero verecundiam ipſam nonnunquã obſtitiſſe ne vulgarentur, neuè in tabulas publicas referrentur miracula deprehendimus, vbi ſcilicet ex ſecreto morbo quis conualuiſſet præſertim ex eo genere, quod cum in filios tranſmittatur illis eorum diffamatio aliqua ratione officere poſſet; cuius rei ne quod exemplum deſit, miraculum hîc ſubijciemuſ. Quod ex nobiliſſima Galliarum vrbe, in eiuſdem Vrbis Se-

natu, quod Parlamentum appellant, Aduocatus ad nos tranſmiſit, ſua manu ſcriptum ac Chyrographo Religioſorum ſpectatę virtutis fideique, ac inter ſuos dignitatis quos in ſuam vicem huc delegauit, ſubſignatum. Quod ea ratio celandæ perſonæ, & non occultandæ gratiæ aptior ſit viſa, qua pia mente ne illum fraudari contingat, eius exemplar totidem verbis hîc ſubijciemus.

AD DEI ET SANCTISSIMÆ Virginis gloriam.

EGo I. R. apud N. Aduocatus coram Deo, & glorioſa Virgine Maria, & tota cœleſti Hieruſalem profiteor charíſſimam conjugem per annos plus minus ſeptem bis quolibet menſe nonnumquam fræquentius, per Lunę mutationes vera, & genuina laboraſſe dementia, quæ illam totum triduum, aut quatriduum occupabat, eoque interuallo prorſus rationis expers tota in delirijs, & animi euagationibus verſabatur, conſcia tantum matre eius, & aliquot amicioribus proximis, qui rem diſſimulantes alias ægritudinis eius cauſas prætexebamus; erat enim, & nunc eſt ferè valetudinaria: hoc morbi genere, cum ſupra modum affligerer, occurrit mihi libellus quo mira deſcribuntur quæ ad venerandam deiparæ Mariæ Virginis Imaginem ſecus vrbem de Mondoui apud Inſubres eiuſdem Virginis, meritis & interceſſione quotidie fiunt; cuius lectione allectus, & in ſpem erectus voto me adſtrinxi: ſi hac ægritudine vxor leuaretur, & priſtinam mentis libertatem recuperaret me cum primum valetudo, & res familiares permiſiſſent, vel ipſum, vel

ſaltem per vicariam perſonam illam Beatæ Virginis Imaginem veneraturũ, & coram ea Deo eiuſque Sacratiſſimæ Matri gratias pro tanto beneficio acturum. Vt voui, res mira, vera tamẽ Deo teſte, rem obtinui, nec vnquam amplius, licèt iam per triennium voti ſim reus vllum eiuſmodi delirium, vllam mentis euagationem, vel ingenij perturbationem in vxore expertus ſum: non intermittentibus tamen vel ceſſantibus, quod mirere magis, alijs eius morbis, & ægritudinibus quibus etiam nunc afficitur. Hoc veriſſimum teſtor, & omnibus notum eſſe volo, & ſi liceret, ſed da veniam ô Maria, tibi enim reuelaui cauſam meam, & meo, & vxoris nomine ſubſcripſiſſem. N. Sexto kalendas Maij, anno ſalutis 1617. *Opera Dei reuelare honorificum eſt.* Iob. 12.

Demùm eædem illæ difficultates, quas diximus inſtitutæ rationis tenendæ in examinandis, & conſcribendis miraculis in cauſa fuere, vt poſteaquam tot miraculorum in proceſſum fuit relatum, quod ſatis fidei facere potuerit, verè diuinum hoc opus eſſe, id enim potiſſimum tam exquiſita diligentia agebatur, ea ipſa tam accurata diſquiſitio remitteretur. Nam cum ad ducenta quadraginta ipſo anno 1595. in ijs deſcripta iam eſſent, quæ deinde miracula renunciata fuere ea, vel manu cuiuſpiam Notarij quem fors tuliſſet excepta ſunt, vel ab ipſis pœnitentiarijs, ſi non tam ſeuera æque tamen fideli quantúmque res pateretur accurata indagine deſcripta. Quocirca, vt quæ cuique miraculo fides debeatur appareat, ea in duo capita diſtinguemus; in quorum primo, quod huic ipſi capiti ſubijcietur, miracula quæ ex proceſſibus, illa adeo ſeuera diſquiſitione confectis deſumpſimus, collocabimus.

bimus. In altero verò inſigniora miracula recenſebuntur ex ijs quæ alia ratione ſcriptis conſignata reperimus. Hocque caput ne Hiſtoriæ ſeries tanta miraculorum mole interrumpatur ad calcem libri reijciemus, & priora quidem miracula eodem fermè ordine ſeruato, quo in proceſſibus digeruntur, cætera in varia ægritudinum genera diſpertiti ſumus, cum faſtidij leuandi cauſa, tum vt facilius quiſque dignoſcere poſſit, quam multiphariam multiſque modis huic Imagini deuouentibus ſeſe Beata Virgo opem ferrè conſueuerit, vt non minus verè quam piè de ea olim hæc pronuntiauerit Diuus Bernardus: *Age gratias ei qui talem tibi Mediatricem benigniſſima miſeratione prouidit. Denique omnibus omnia facta, ſapientibus & inſipientibus copioſiſſima charitate debitricem ſe fecit. Omnibus miſericordiæ ſinum aperit, vt de plenitudine eius accipiant vniuerſi: captiuus redemptionem, æger curationem, triſtis conſolationem peccator veniam, Iuſtus gratiam, Angelus lætitiam denique tota Trinitas gloriam, Filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit, qui ſe abſcondat à calore eius.* *Serm. de Natiu. B. Mar.*

INSIGNIORA QVÆDAM Miracula ex iis quæ in proceſſu habentur.

CAPVT XIV.

PRimvs igitur locus ei miraculo debetur quod primum Auguſtæ Taurinorum habitantibus indubiam fidem fecit vera eſſe quæ de ſacra Pila fama vulgabat, quæ antea prout cuiuſque ingenium ferebat interpretabantur, alij eo commigrantes non irridebant modo, ſed Prælatos quod ea pati poſſent incuſabant, muliercularum ſuperſtitionibus, & populorum leuitati vniuerſa tribuentes: alij illa ipſa quę cæteri religione tacti ad eadem præſtanda ſe comparabant. Quidam nihil aut ijs, aut illis aſſenſi quem tandem exitum res ſortiretur expectabant. Apud eos igitur tunc temporis ſeruiebat Ioanna quædam ex Matiſcone (ea eſt ciuitas in Heduis) ætatis annorum quadraginta quæ quod ei linguam Hæretici præcidiſſent totos viginti octo annos muta permanſerat, vix dum fama ſacræ Pilæ in eam vrbem irrepſerat, quod illius ſalutandæ ſtudio accenſa illuc ſe contuliſſet, & quamquam irrito voto ſemel iterúmque inde receſſerat, ſpei tamen plena, perſeuerâti fide tertiùm eandem peregrinationem inſtitit obire. Iam Sauiglianum deueniens in Eccleſia S. Petri Monachorum Caſſinenſium, ante altare Beatæ Virginis orationi ſe dederat, cum diuino illo tremore correpta vocem huiuſcemodi audire viſa: Ioanna aperi os, quo ipſo momento temporis dolorem in

lingua perſenſit, velut ſi acu pungeretur ex quo ad dulciſſimum Saluatoris nomen inuocandum (vt Chriſtianis in repentinis accidentibus vſu venit) permota, illud non irrito linguæ conatu vt antea, ſed clarè, & diſtinctè protulit, miſericordiam ſubinde inclamare cœpit, ac in poſterũ ita liberè ſemper eſt loquuta, ac ſi nihil impedimenti vnquam paſſa eſſet: ſuo igitur itinere piè riteque perfuncta, Taurinum regreſſa haud dictu facile quanta admiratione omnes imbuerit, & ſuum herum in primis, cuius domui dum appropinquaret forte ita accidit, vt coram eo diuerſis partium ſtudijs de mirabilibus quæ apud ſacram Pilam fiebant ageretur, ac dum diceret ipſe, niſi eius Ioanna linguam recuperaſſet omnia pro vanis ipſum habiturum, ingreſſa Ioanna, herum noua lingua ſalutauit, & quamquam illa ſatis nota vicinio, heruſque ipſe locupletiſſimus teſtis priſtini eius ſtatus eſſet, (vt potè vir apprimè eruditus, idémque Referẽdarius, ac Conſiliarius Ducalis) tamen ne eorum fides in dubium reuocari poſſet ea pars linguæ quæ ad imam radicem pertinebat, quamque mutilatam oſtentabat antea ſubalba erat, & durior, vt in fœmina eius ætatis, extrema verò pars quam in vicem præciſæ Beata Virgo reſtituerat, rufa ac tenella qualis eſſe infantium ſolet, ad quam intuendam omnibus velut ad prodigium concurrentibus, in quibus meipſum memini affuiſse, non omnis modo dubitatio protinus exempta ſed in immenſum apud Taurinenſes loci religio aucta, quos dum obſtupefactos tantum miraculum teneret, aliud rurſus miraculum eos ſuſtinuit, vt diuturnitate morbi, ac membri carentia priori ſimile, tamen quod is in quo euenit longè notior erat quodque alijs etiam in-

commodis quibus nulla vis naturalis mederi poſset laboraret, longè ſuperius.

Claudus quidam apud Taurinenſes diuerſabatur (ei Claudius nomen erat ex Ronię pago Lugdunenſis ditionis) adeo infracto diſtorto, ac mutilo corpore, vt intuentibus admirationi iuxta, ac miſerationi eſset, in pedibus digitorum veſtigia vix vlla erant, tibiæ carnibus carentes, & niſi quod pelle veſtiebantur baculorum magis quam oſſium ſpeciem referentes, eas igitur inuerſo ordine collo appenſas geſtabat. Namque ſuper hęc mala elumbis erat, vt ſe erigere nequiret: itaque contortus, ac malè mulctatus, vt non niſi clunibus ſubſidens, vel ſubſiſtere, vel progredi poſset, quibus ne continuo attritu læderentur puluillum ligneum ſubijciebat, dum zocculis ligneis quas præ manibus habebat innixus emortuum corpus per humum raptabat, quæ incommoda cum illi ad petendam eleemoſynam animos facerét eam ita, obſidebat viam quæ ab vrbe Taurinorum ad pontem Padi ducit, vt nullus eo notior eſset, & Claudus Padi vulgò diceretur. Hic igitur cum plures iam claudos qui ſacram Pilam inuiſiſsent conualuiſse acciperet, in ſpem venit idem conſequendi, à qua minimè eſt deſtitutus. Hominibus cuiuſdã fraternitatis comes, adiũctus iam decẽ millia paſſuũ nũc aduerſo flumine, nũc carpento ſubuectus Taurino aberat cum repentè diſtendi, & in ſuas ſedes diduci renes cæteráſque partes quæ extra locum eſsent perſenſit. Tum mirabile dictu tibijs ſuperinduci carnes, pedum digitos diſterminari & ſuccreſcere animaduertit; quid plura? cum pro nouitate rei ſtupor ſilentiúmque circunſtantes defixiſſet, ipſeque pedibus inniti rectúſque progredi ten-

Digitized by Google

taſſet,non proceſſit modo,ſed reliquum itineris pedibus confecit. Tanti miraculi famâ Taurinum perlatâ,primò adeò incredibilis viſa res , vt non pro vano modò ſed vix pro ſano nuncius haberetur, deinde vt ſuper alium alius idem affirmantes veniebant tandem facta fides,vbi verò adueniens ipſe ſeſe velut alium factum ſpectandum prębuit,diu ſilētium aliorum alios intuentium erat: tandem excuſso ſtupore omnes miſericordiam acclamare, Deiquè genitricis merita, ac benignitatem efferre; is vero non Romam modo , vt Clementi octauo ſe ſiſteret eſt profectus , ſed multa alia laborioſa itinera emenſus, nullum ex tot incommodis in poſterum eſt expertus.

Georgius Borſarellus Vicenſis cum paralyſi reſolutus iam per biennium miſerum ſpiritum lecto decumbens traheret , illud ei incommodi acceſſit quod in ſpina dorſi vertebra excidit; cuius reponendæ cum nullus artifex rationem inire poſſet,perpetuis cruciatibus quos tolerabat adactus ad Beatam Virginem ſe conuertit, votóque nuncupato ad ſacram Pilam voluit deferri,eum ſubſequuta ſoror,necdum pro eo primum circumegerat orbem, cum digitos pedum ſeſe poſse mouere paralyticus perſentit. Eâ ingentiori ſpe ac Religione ſuos orbes iterāte,pedes ipſe circumegit , tum genibus,tum cruribus , tum denique toti corpori priſtinæ redduntur vires, adeò vt cum ſuam nouennam ſoror perfeciſſet,ipſe pedibus ſuam nouennam inierit baculis innixus,quorum altero vixdum tertio circumacto orbe, altero cum nouennam abſoluiſſet à ſe abiecto maiori gaudio perfuſus quam quod mens eius capere poſſet ad lares reuertit.

Lazarus Bigſiodus Senenſis ex diutina infirmita-

te pedum morbum contraxerat, qui eum per menſes duodeuiginti ſummis doloribus cum exercuerat iiſdem pedibus adeo debilis erat, vt nec ijs ſuſtineri, nec ſine baculis ſe loco aliquando dimouere poſſet: vbi in ſpem irritam fruſtra adhiberi remedia animaduertit, ad ſacram Pilam aſello deuehi voluit, inde ſpei plenus domum reuerſus prima noctis hora vehementi tremore corripitur, ſimul etiam cogitatio animum ſubit ſe conualuiſſe, quâ excitus incedere nititur, cum tacitæ cogitationi optimè reſponderet euentus, ac inſiſteret deambulare, iterum tremore corripitur, ac ſimul vt miſericordiam inclamet ab eadem ſua cogitatione mouetur, id cum tertio feciſſet, ſanum ſe omnino ſenſit; in cuius beneficij teſtificationé paucis poſt diebus quam inde tam malè affectus delatus erat, ſacram Pilam adiens velut alter factus omnibus viſendum ſe præbuit.

Ioanni Ruſcuſio ex Clauaſio Lemici habitanti quadraginta vnius anni taciturnitas muti indiderat nomen, eam vero vt poſtea acceptum eſt ab ipſo, hac ratione contraxerat. Cum annorum nouem eſſet maleficæ mulieris contactu guttur enormiter intumuit, cum per alia medicamenta parum proficeretur, dum Chirurgi incidunt ſatis altis plagis, vt per eas morbus erumperet offenſa aſpera arteria ſeu alio voci efformandæ neceſſario organo loquendi adimunt facultatem. Itinere ſuo cum ſocietate eius loci ritè perfunctus, domum cum eadem redibat, cum eodem organo in priſtinum reſtituto Beatæ Virginis ope, cæteris rei miraculo attonitis, repente loqui cœpit, tum quidem balbutientium more, poſtmodum vero omnino perfectè.

Digitized by Google

Hieronyma Petri Vignalis filia ex Herculis Monæci oppido,ab ipſo ortu viſu erat adeo imbecilli,vt ſiquando ſine duce progrediebatur pedibus offenderet,capiteque huc illud impingeret,eidem ſtatis diebus ſummo cum dolore intumeſcebant oculi,dum à fratre huc duceretur pupillis affulgere lumen ſenſit, quo ſucceſſu aucta ſpe, cum ante ſacram Imaginem conſtitiſſet clarius illam intuita abſolutam videndi facultatem ſenſim recepit.

Pellegirina filia Benedicti de Ormea tum Villefranchę propè Niciam habitantis,non contortis modo pedibus erat, ſed adeo debilibus, vt difficile ijs inniti, longè difficiliuș etiam progredi poſſet; tumque motu ſatis indecoro, vtero ſcilicet prominente. Hæc ab ſocietate Sancti Spiritus Nicienſis huc deducta,ad ſuos iam reducebatur, vbi ad Scarenum deuenit equo inſidens perſentire ſe clamat velut manuum contactum, quæ à ſummis cruribus per tibias ad pedes eam adſtringentes omnem dolorem fugabant. Accito Patre in terram ſe demitti petit,ſtatim demittitur,ſtatim libere progreditur, ſtatimque ab omni aduerſa valetudine liberatur.

Ioanni Antonio Pauli de Stephanis ex Rochetta Tanagri filio Niciæ à Palea habitanti, multis antea annis ferro inciſa lingua fuerat ab hero,qui ex alieno incommodo ſuam ſalutem petens, ne homicidium à ſe patratum proderet hac ratione cauit. Hic vbi in agmine diſciplinatorum Nicienſium Albam deueniens Eccleſiam Franciſcanorum ingreſſus ante altare Beatæ Virginis orationi ſe dedit,ſtatim loquendi vſu recepto antiphonam, *Angelus Domini nunciauit Mariæ, &c.* diſtinctę pronunciauit ac deinde vt

antea liberè eſt loquutus.

Andreas Ioannis Baptiſtæ Gabrij Aſtenſis filius,ætatis annorum decem, adeo malè affectis tibijs ac cruribus ab ipſo ortu erat, vt eas minime extendere poſſet, ſed in crucis modum aliam ſuper aliam perpetuò haberet, articuli manuum eidem adeo diſtorti vt videntibus miſericordiam mouerent. Iam à matre ad ſacram Pilam deductus, Claraſcum in reditu peruenerat,cum noctu extenduntur tibiæ.Non maiori igitur in præſens lætitia quam in futurum ſpe Aſtam ire pergunt, quò cum primo ventum eſt brachiorum ſimul ac manuum vſu potitus ſua ſponte libere incedit & quæuis benè valentis munia obit.

Petrus Bernardi Almalberti Albintimelienſis filius duodecim annos natus,ob homiplexiam quam biennio ante contraxerat dextrum crus tibiaque ita laxata erat,vt incedens extremam partem pedis raptaret nec qui ne ſe in ſiniſtra impingeret prohibere poſſet, brachij item dextri nullus erat vſus quod è collo ſuſpenſum gerebat,reliqua denique parte eadem corporis emortua, vocem emittere quæ quidem exaudiretur, non dabatur. Equo ad ſacram Pilam deuehitur, patre alijſque hinc inde non valentem molem corporis regere perpetuo ſuſtentante: in ſacellum deductus extra ſe fit repente, cumque diu emortuus iacuiſſet recipit ſeſe, ac clara voce affirmat nullo iam ſe in tibijs, nullo in brachio, nullo denique in aliqua corporis parte incommodo laborare; à diutina igitur reſolutione ad perfectam ſanitatem reductis membris ad ſuos redijt cum tot incommodorum præter aliquam debilitatem & exiguam eam quidem, nullum iam appareret veſtigium.

Paula

Paula Riccia Montiſ-regalenſis, vigeſimum quintum annum agens per quinquennium tot infirmitatibus, atque doloribus vexata fuerat, vt nec dorſo, nec pedibus ſeſe erigere poſſet, vix etiam ſcipionum adminiculo loco aliquando ſe dimoueret. Hæc cum ſacellum inijſſet, & pro ſanitate præſenti ingentem ſpem eius obtinendæ retuliſſet, per quindecim dies è vicina domo locum viſitare inſtituit, poſt quos voti compos ad ſuos redijt.

Emanuel Bordinus faber ferrarius, ex Sancto Albano (octo millia paſſuum is locus abeſt à Monte-regali) cum auricularis digiti maiori parte abſciſſa, ita reliquæ obducta pellis eſſet, vt is rigeret immobilis, id non tam ab dolore amiſſi membri, quàm ob impedimentum quod arti ſuæ exercẽdæ inde prouenie-bat, ferebat ægerrimè, incitatur conſtanti fama miraculorum quæ à ſacra Pila afferebantur; nam cum redeuntibus in Pedemontium ea fermè prima ſtatio eſſet omnia magis comperta habebantur; ſacrum intrat ſacellum, ibi cum per horam precationibus vacaſſet pruritum in digito perſentit, velut ſi in eo formicas haberet, tùm ſentit à brachio virtutem diffundi quæ per manum ad extremam digiti partem peruadens, illum eodem momento ſanitati reſtituit.

Iacobinus Darius Montiſ-regalenſis Chirurgus filium ex coniuge ſuſceperat Angelinum nomine ab ipſo ortu cum tumore vtriúſque inguinis partis hernia laborantem, eum cum primum ex voto in ſacellum intulit incolumen domum reportauit.

Simon Barandi ex Entraiquenſi oppido, annos octodecim natus, ab incunabulis dextri brachij, ac manus ita compos non fuit, vt neque brachium ſuper

os ſine ſiniſtri ope poſſet attollere, neque in pugnum digitos contrahere, iam cum ſui loci ſocietate locum inuiſerat, adque plana vrbis in reditu deſcẽderat, cum viribus, ac ſenſibus ſimul deſtitutus in terram prolabitur, è qua cum ſurrexiſſet, brachio liberè vti, manúmque vt libebat contrahere cœpit.

Barnabas Garnerius è Caballœrio maiore, ictus plombea glandę ſupra brachij dextri curuaturam, nec illud mouere, nec cogere digitos in pugnum poterat, poſt iam tertium annum dum in ſacrum ſacellum cum cætero agmine Diſciplinatorum ſui loci conceſſiſſet propiorem ſpe ſalutem ſine aliquo ſenſu vidit, quo tempore aſſurgere, & exire parabat, demiſſum in terra pileum, nec opinato ſuſtulit, exinde manus & brachij integra facultate potitus.

Anthonius Barcelle ex Canalium oppido, duodecim annorum tabe propè confectus vix aliquando fulcris innixus progredi poterat, aſello hùc deuectus, dum ante altare oraret ſemel iterúmque in terram prolabitur, vſitato tunc temporis tremore correptus, tum ſurgens liberè incedit, vixque Montem-regalem deuenit, cum ſcipionem quo debilitari timens, dum diſcenderet à ſacra Pila innitebatur, à ſe abiecit.

Margarita vxor quæ fuerat Ludouici Martinetti ex Caſtro Vexillienſi, propè Gratianopolim tum Ruſiæ habitans, nec cum ſederet per ſeipſam aſſurgere, nec ſi incedere vellet ſine altero ſaltem ex fulcris progredi poterat, vt nemini iã eo in loco infirmitas eius ignota eſſet, poſt decimum quintum menſem, cum votum ſacræ Pilæ inuiſendæ nuncupaſſet in ſequenti nocte e ſomno repentè excita ſeſe ſanam deprehẽdit. Surgens itaque ad Eccleſiam ſe contulit, & oppidum totum

circumeundo receptæ gratiæ fama impleuit.

Nicolaus Ferrerius, ex Milleſimo triennali ægritudine perpetuiſque totius corporis cruciatibus eò deuenerat, vt non niſi fulcrorum ope dimouere ſe loco poſſet, cum omnis Medicorum opera, effectu quàm conatu vanior eſſet, ſui loci ſocietatem ad ſacram Pilam euntem equo ſubſequitur; ex quo cum ante fores ſacelli demitteretur ita repentè conualuit, vt è mulo deſilierit, & feruoris plenus arrepto flagello ſe cædés, etſi aliquatenus claudicans (quod vnum in eo tam diuturnæ ægritudinis veſtigium adhuc permanebat) ſuam ſtatim nouenam inire non dubitarit.

Brigidula Stephani Sapiæ, ex Sancto Remo filia ſexennis, dum adhuc bimula eſſet incertum quâ ex cauſâ clauda effecta fuerat, debilis eadem toto corpore erat, vt cum ei ſuſtinendo vires non ſufficerent, clunibus ſubſidens ſeſe per humum raptaret, cum ex ſacrâ Pilâ reportata eſſet, ſine adminiculo vtcumque incederet, innixa vero quocúmque vellet ferri occœpit.

Catherina filia Andreæ Iuſti, ex Mulazzano iam decimum octauum annum agens, ſed ab ipſis incunabulis deformiter clauda quod femur dehiſcens ſua ſede motum erat, in ſacrum Sacellum ingreſſa, ac ſomno inter orandum correpta euigilans è ſomno tibiam obtorpuiſſe perſenſit, inde non fruſtra coniectans ſe curatam pede, pedi collato laxatum membrum in naturalem ſitum redijſſe deprehendit; itaque adeô liberè progreditur, vt nonniſi cum feſtinaret aliquod priſtinæ debilitatis reſiduum in eo deprehendiſſes.

Catherinetta Petri Vigliorei ex Torrano filia, an-

nos quinque & dimidium nata, cum ſemper ita claudicaſſet, vt intereundum tota in dextram partem propenderet, cum ex ſacrâ Pilâ aſportaretur à Patre, & ad Sáctum Michaëlem deueniſſet,(abeſt id oppidum circiter mille paſſus) ſana deprehenditur, quamquam viribus tùm quidem non omnino confirmatis.

Guillelmus Boccotius, ex Toirano annum agens decimum quartum, euulſo calculo quo laborabat, diſtillationem lotij incurrit, à quâ cum nec externis, nec internis remedijs liberari poſſet ſacrá Imaginem inuiſens, certam pecuniæ ſummam vouit ſi conualuiſſet, domum regreſſus ad ſpem euentu reſpondente integra eſt ſanitate potitus.

Bartholomeus Rex Salutienſis ex vulnere accepto in dextera manu, iam poſt octauum menſem, nec eâ vti, nec digitos colligere poterat, vbi ſacellum intrauit, quocum quadam ſocietate eius vrbis venerat, accepta gratia manum porrexit in pugnúmque contraxit, qua deinde omninò liberè vſus fuit.

Iſotta filia Ioannis Philippi Ollæ ex Villanoua Lenci habitantis, iam ſeptimum exegerat ætatis ſuæ annum, nec niſi ab alijs ſuſtentata, vel ſeipſam per humum raptans loco ſe dimouerat vnquam; in Sacellum illata pedibus inniti cœpit, ac nullius ope adiuta, & tunc, & in poſterum liberè ſemper eſt progreſſa.

Auguſtinus filius Danielis Rubadi ſeu Ferreri de Gorſegno, in ignem vix dum anniculus cum decidiſſet, non cœcus modo effectus ipſe erat, ſed fuerant vt Chirurgi affirmabant oculorum tunicæ igne corruptæ, ad ſacram Pilam iam tum quadrimus, vt eſt delatus, alterius oculi integrum lumen recepit, altero ſeu ad fidem priſtinæ cœcitatis, ſeu ad memoriam acce-

pti beneficij in ſuo ſtatu permanente.

Ludouica Bonetta è Montebarcherio, vxor Benedicti Reſſaſci de Gorſegno, cum poſt ſeptimum iam annum vlcere in manu laboraret cuius curatio ab omnibus deſperaretur, vbi iterum ſacram Pilam piè coluit nullo remedio adhibito concretâ carne vlcus omne intra paucos dies eſt obductum.

Quibus miraculis ex proceſſibus deſumptis aliud quoddam ſubnecti poſſe videtur non tam magnitudine ſua memorabile: plurima enim æque per ſe inſignia, quia in proceſſus non ſunt relata ex hac ſerię reijciuntur, quam quod ſi quid fidei eâ de cauſâ illi deſit, id aliunde non ſine quodam miraculo ſit compenſatum.

Frater Ioannes Baptiſta Taglierius, Sacerdos ac concionator è ſacra familia Dominicana, Conſtantinopoli graſſante peſtilentia, quæ anno milleſimo ſexenteſimo decimo quinto innumeros mortalium abſumpſit, dum fidelium ea laborantium confeſſionibus excipiendis verè Chriſtianam impendit operam eodem ipſe corripitur morbo: Itaquè ſub axilla potiſſimum coaleſcente peſte inter eos ipſos Chriſtianos ſeruituti preſſos, quorum erat deplorata vita, ab omni & ipſe ſpe deſtitutus iacebat: dum igitur ſuprà vires affligaretur, audit quoſdam Ligures Beatam Virginem Vicenſem inuocantes, cuius vt ipſe aſſeruit apud eam vrbem ſatis celebris fama eſſet, quod plurimi eidem ſe deuouentes, quas petebant gratias fuiſſent conſecuti. Hac igitur & ipſe fama permotus Beatæ Virginis implorat opem, ſpondens ſi impendentem euaderet mortem locum hunc ſe aditurum, & quas poſſet maiores gratias ſe relaturum; voto nun-

cupato ſtatim ſopore corripitur, qui multorum dierum irrequieta vigilia propè confectus erat. Poſt breuiſſimi temporis quietem dum euigilat, & nec opinato brachiũ mouet, illud detumuiſſe deferbuiſſeque toto corpore peſtiferum illum calorem animaduertit, manu etiam axillæ admotâ vbi coaluerat peſtis nullum illius veſtigium vſquàm deprehendit. Surgens itaque incolumis cum gratiam inclamaſſet tum hâc voce, tum rei miraculo cæteros fideles ita permouit, vt gratiam ſimul ſucclamarent, & Beatæ Virginis Vicẽſis nomen ad cœlum efferrent. Is verò cum primum potuit, vt ſe ſolueret voto itineri ſe commiſit: tertio kalendas Auguſti inſequentis anni huc aduenienshæc ipſa coram Notario, & teſtibus præſtito Sacramento affirmauit, quibuſcum litteræ patentes Superiorum Eccleſiaſticorum eius vrbis, ac Veneti Procuratoris (Bailium dicunt) optimè concinerent, ne tamen teſtis oculatus deſideraretur ſingularis Dei prouidentia effecit: namque octodecimo ferè die ab eius diſceſſu cum Reuerendo Patri Ludouico Galaterio Franciſcanæ familiæ Definitori locum hunc inuiſenti miraculum hoc inter alia quæ perpetuo renunciantur recitaremus; comes eius Frater Franciſcus Seconus Maſſilienſis veriſſima eſſe hæc omnia aſſeuerauit noménque eiuſdem concionatoris quod mihi in mentem non venerat, tanquam hominis ſibi maximè noti edixit, addens ſe cum per id tempus Cõſtantinopoli in Conuentu Sancti Franciſci apud Peram commoraretur pridie quam id accideret ipſum inuiſiſſe ægrotum, quem cum iam intendentibus ſe tenebris, iubente ergaſtuli Cuſtode deſtituere coactus eſſet, ſub primam lucem eò ſe contuliſſe, magis vt cor-

pus terræ quàm vt animam Creatori religioſo commendaret obſequio: quapropter cum illum non ſuperſtitem modò, ſed deambulantem ac bene valentem offendiſſet, id miraculo Beatæ Virginis Vicenſis eueniſſe eo facilius credidit, quod in ipſa vrbe plures alias gratias collatas fidelibus qui eius nomen inuocaſſent optime norat.

DE MODO QVO GRATIÆ concedebantur.

CAPVT XV.

NEQVAQVAM vero tantæ admirationis erāt gratiæ ipſæ ipſaue miracula, quam tremores & ecſtaſes, corporis & animorum varij habitus, qui in ijs qui ea recipiebant viſebantur. Illa quippe quod identidem in Eccleſia coruſcent minus miranda erant, quod verò nullam aliam cauſam admitterent auctorem Deum ſponte ſua teſtabantur: Hi autem cùm tam multiplices tàmque inuſitati fuerint, haud tantùm reuerentiæ loco attulerunt, quàm ſollicitos habuerunt eos qui ne quid diabolicę fraudis huic operi admiſceretur omni ſtudio inuigilabāt. Ab tremoribus initium factum, idque in ijs primò qui amiſſum, vel debilitatum membrum, aut totius corporis ſanitatem recipiebant. Hi námque vbi primùm operatricem diuinam virtutem præſentiebant, genuum, brachiorum, & totius corporis tremore corripiebantur, cúmque diu multúmque agitati eſſent, velut deliquium paſſi dilabebantur in terram: Nihil

Digitized by Google

ex ipſo caſu (etſi ex æquo quandoque fieret) incommodi paſſi, vbi qui plus qui minus cum iacerent, pruritus, quales formicarum morſus faciunt, ſentiebant; quidam cum ſe iterùm, ac tertiùm ſe erexiſſent, eoſdem tremores, ac deliquia experti iterum tertiumue humi procumbebant: in eam conuerſi nonnulli, ſupini plurimi, omnes tamen intermortui. Ex quibus quidam adeô immobiles, vt mortuos credidiſſes, niſi viuere ex calore, & ſpiritu remanente in præcordijs ſenſiſſes, quidam dumtaxat digitum, vel aliud membrum mouebant, & illud præſertim quod ſanitate careret, alij velut Phanatico inſtincti Spiritu, poſt caſum per terram rotabantur, nullo tamen indecoro motu, alij velut ex anguſto pectore alta ſuſpiria emittebant: alij palmas collidebāt vniuerſi eô oris & corporis habitu, vt ſimul horrorem incuterent & pietatem, cum nonnulli os contorquerent, quidam varios inducerent colores, quidam repentino velut terrore per interualla agerentur, quidam ſudorem copioſum ſudarent, plurimi cum cordis palpitatione, & pulſuum inæquali motu.

Ab ijs autem qui ſanitatem recipiebant creſcente frequentiâ velut contagione quâdam ad alios etiam ijdem tremores ac caſus emanarunt, & primùm quidem ad eos qui propius hos conſtiterant, quiue in Sacellum ſe conferebant, aut certè nouenos peragebant orbes, tum in eos qui huic itineri ſe committebant, ex quo in illius gratiam in certum locum conueniſſent, vel proficiſcentibus ſe aſſociaſſent. Hocque non in Eccleſijs modo ſed inter eundum, vel redeundum per vias, per compita, & vbi Beatæ Virginis altare, vel Imaginem præ ſe haberent. Neque id vni aut alteri

eueniebat,

eueniebat, ſed pluribus ſimul, nonnumquam etiam maiori agminis parti, ita vt quingentis aliquando in terram prolapſis, octo duntaxat recti ſteterint, quorum quidam nullum eorum quæ ſibi accidiſſent ſenſum habebãt, quidã in ecſtaſim rapti cũ ad ſe redirẽt ſibi obuerſatam Beatæ Virginis, vel aliorum ſanctorum, vel etiam ipſius cœleſtis regionis ſpeciem referebant, ex quo immenſum gaudij percepiſſent. Alij contemplatos ſe Beatam Virginem, diuinæ vindictæ flagella deprecantem, nonnulli ſibi vel in mentem reuocata, vel remiſſa eſſe peccata audijſſe. Omnes in Beatæ Virginis laudes prorumpebant, tantâque etiam tum dulcedine capti erant, vt ne ea diffflueret, nihil cuipiam reſponderent: Nonnulli tacitum continere gaudium non valentes, ijs quæ viderant enarratis; iterum in ecſtaſim rapiebantur. Plurimi cum ita iacuiſſent; antequam ſe releuarent, oculos in cœlum vel in ſacras imagines conijciebant, cruces & coronas oſculabantur, in gemitus ac fletus reſoluebantur, peccata deteſtabantur, & pœnitentiæ ſpiritu perciti ad Confeſſarios procurrebant.

Hinc qui ita cecidiſſent ſi non corporalem ſpiritualem, ſaltem gratiam recepiſſe vulgo crediti, ex qua opinione manauit, vt quaſi in accepti beneficij, teſtificationem, quæ fœminæ ita ceciderant paſſo deinde crine incederent, viri vel proprium locum haberent, vel certâ aliquâ notâ à cæteris diſtinguebantur. Hoc vero quod grati animi cauſa fiebat, extemplo in errorem moxq; in cæterorum quæ diuinitus fiebant, eleuationem vertit, dæmone vtique adnitente vt hoc opus infamaret, vt enim muliercularũ in vanitatem, egenorum in fraudem eſt præceps ingenium, non de-

fuerunt ex vtriſque qui eoſdem ſimulare tremores ac caſus haud dubitarét, fœminæ ne minus piæ viderentur, quàm quæ gratiam aliquam meruiſſe credebantur, egeni vt quæſtum ex alieno errore facerent. Huic malo aliud conſimile eiuſdem dæmonis operâ eſt adiectum, multi ex ijs qui ceciderant compotes ſui facti ad fræquentem populum eas orationes habebant: quas nec pro ætate, nec pro cætera facultate, dicere poterant. Pueri infanteſue puellæ, quæ ſalutationem angelicam vix dum recitare ſciſſent, cum poſt eiuſmodi caſus, & ecſtaſes ſe releuaſſent concionabundi ſuggeſtum ſubeuntes de peccatorum fæditate, de voluptatum deteſtatione, de diuinæ pietatis inexuperabili bonitate, additis vbi opus eſſet Scripturarum, & Doctorum ſententijs, tam diſertè tamque eleganti ſermone diſſerebant, vt tum ex ijs, tum ex fructu quinde conſequebatur, illarum auctor Spiritus Sanctus probaretur: hoc ipſum vt infamaret hoſtis, nonnullos ad concionandum incitauit, qui omiſſo diſcrimine, verane an falſa iacerent, ſolidis vana, bonis haud ita ſalubria dicta miſceret, non leue etiam incommodum illud fuit, quod à prima origine, horum caſuum cum quis contremiſcere cœperat, admirabundi circumſtabant eum cæteri, vt vero in terram procubuerat, non ſubſiſtebant modo agmina, ſed illum nouenis orbibus ambiebant: quæ res non morabatur modo agmina ipſa, ſed prope conſiſtere eogebat, pluribus fræquenter prolabentibus, & per horas procumbentibus.

His alijſque vix dum ſubodoratis Epiſcopus qui hæc iam præſagiſſet animo, nonnulla ſalubriter ſtatuit, & cenſuris alijſque vijs quantum in ſe fuit, ob-

uiam ir eſt conatus. Ante omnia prudentibus viris, Theologiæ vel Medicinæ peritis negotium dedit, vt omnia perluſtrando cadentes caſtigarent, procumbentes excitarent, concionantes compeſcerent. Id quod ipſi ſumma cum cura omnia inquirendo exequebantur, ſed nihil tam incertum nec tam inæſtimabile, quàm animi multitudininis, quod cautiores ad præcauendas fraudes, videbatur facturum, id vt in eas irruerent propemodum effecit. Muſſitare omnes paſſim quando deſineret Epiſcopus Beatæ Virginis gloriæ velle eſſe impedimento; non ſatis habuiſſe quod initijs eius deuotionis, quandiu potuit obſtiterit, niſi fœlicibus eius progreſſibus repugnaret, ne ſcilicet ſua opinione ſe deceptum fateri videatur: quæ alia miracula iam deſiderare poſset, vt Deum ipſum in eam conſenſiſse, & populorum pietati fauiſse tandem aliquando intelligeret, illi potius eſse obtemperandum. Hæc aliaque vulgus fremebat, quod cum omnia admirari, ac pro miraculo ſuſpicere conſueſſet, poſteaquam certas ſibi perſcribi leges videbat, ne ab immodico ſtudio, Beatæ Virginis, colendæ ad ſuperſtitiones raperetur, diuinæ virtuti obicem poni opinabatur. Acceſserat quod ij ipſi qui eiuſmodi caſus improbabant, quique ita cadentes acriter coercebant, vel quia id muneris ijs delegatum erat, vel quòd reuera an diuina virtute hęc fierent dubitabant, aut etiam quòd cæteris in eo prudentiores haberi vellent eodē ipſimet tremore ſępe correpti, vel ante eos ipſos quos caſtigabant proſtrati iacuere: vel ne promiſcuè cum ijs caderent, ſeſe maturè in ſacriſtiam proripuerant. Quod factum vulgus ad ſententiæ ſuæ comprobationē trahebat. Adde quod longiùs manabat malū

quã vt vnius Ciuitatis Epiſcopus remediũ ferre poſſet Quamobrem Nuntius Apoſtolicus apud Sereniſſimum Ducem, hac de re concilium habuit, doctiſſimo quoque, ac prudentiſſimo adhibito, vbi primum omnium id in diſquiſitionem venit: cuinam hi tremores caſûſque, & cætera quæ modo præfati ſumus eſſent attribuẽda; vt enim dæmonis opera ea fieri poſſe non dubitabant, eiuſmodi namque ſæpe patiuntur dæmoniaci, ita ne hæc in vniuerſum illi tribuerent miracula obſtabant, quæ omnem vim naturæ ſuperando fidem faciebant, auctorem ſuum eſſe Deum, dæmon ſi quidem nõniſi ipſius vi naturæ tale quid operatur, applicando ſcilicet actiua paſſiuis. Porrò vbi præcipuum opus diuinum eſſe certò conſtet, ſcilicet miraculum recipiendi membri, vel recuperandæ ſanitatis, cætera quæ in recipiente fierent, quales erant eiuſmodi ecſtaſes ac tremores, à Deo eſſe conſequẽs erat. Neque enim ſuſpicari quis poteſt ſua virtute voluiſſe Deum, Dæmonis opera comprobare, quod certè fieret, ſi in vno eodemque ſanitas recepta diuinæ virtutis, tremores illi & caſus diabolicæ artis eſſent effectus.

Fieri etiam poſſe perſpiciebant, vt ex naturali cauſa, nulla dæmonis opera tale quid quandoque eueniret, vt ob naturale deliquium, ſiue aduerſam valetudinem, ſiue alia de cauſa, vt erat longa inedia, itineris labori coniuncta, vel ſtupor etiam qui pleroſque tenebat, quæ apud ſacram Pilam fierent contemplantes. Quod enim, vel ferreum pectus non concuſſiſſent tot voces, vel miſericordiam proclamantium, vel ob receptam gratiam Deum collaudantium, vel dulces hymnos concinentium, vel denique, Beatæ Virgi-

nis opem implorantium; quem non permouiſſent gemitus pœnitentium, ſuſpiria precantium, & quos ex corporibus emittebant clamores dæmones ipſi, diuinam virtutem, quæ locum obumbrauerat ferre non valente; ipſe etiam conſpectus per ſe horribilis erat, cum hinc collucentes faces, vel in orbem rotatas, vel longo ordine prelatas, illinc ſe crudeliter lacerantium cruorem cóſpiceres, hinc ſuccreſcere manuum, vel pedum digitos, illic contracta, & contorta rigere membra diſtedi, hac ex parte Energumenorum efferatam ſpeciem oris, illac vero, vel trementium, vel in ecſtaſim raptorum humi proſtrata corpora. Hæc, inquá, quæ ſi, vt oculis aduĕtantiũ, tũ ſubijciebantur, ita legentium animis nunc repreſentari poſſent, eos etiam nunc admiratione defixos tenerent. Nulli dubium quin iam motas per ſe infirmiorum mentes extra ſe naturaliter rapere potuerint; illud etiam vti innuimus eſt animaduerſum, per ſummam temeritatem quoſdam ita procidere conſueuiſſe, qui eoſdem tremores ac ecſtaſes ſe pati ſimulabant, vt vel pecuniam à concurrentibus ad ſpectaculum facilius corrogarent, vel gloriolam conciliarent, ſed dilucere breui fraus cœpit: in ijs namque ſicut et in reliquis, qui naturali alia de cauſa hæc paterentur, longè alius erat oris habitus, ac in ijs qui diuina illa virtute corripiebantur, non tremor ille tantâ vi corpus concutiens, vt nec ab alijs quidem coërceri poſſet, nó mortis pallore modo, modo igneo rubore ſuffuſa facies, non nunc frigore rigentia membra, nunc largo ſudore madentia, non difficultas illa reſpirandi in vno, in alio vero tanta quies, vt niſi circa cor palpitationem

quandam deprehendiſſes, credidiſſes exanimatum, non denique plurima alia quæ præter conſuetam naturæ vim cernebantur, ſed qualia in ijs qui naturalem aliquam ob cauſam intermortui iacent, conſpici ſolent.

Cum igitur nec dæmonum arti, nec hominum fraudi, hi tremores, caſus ecſtaſeſue tribui poſſe appareret, quod vnum reſtabat ad diuinam virtutem eſſe hæc reuocanda omnes cenſebant. Cui ſane ſentẽtiæ, vt omnes ſubſcriberent conditio perſonarũ prætereà ac ratio ipſa conſequendi ſuper naturæ vim ſanitatem perurgebant. Conditio perſonarum (inquam) quod hæ non è promiſcuo dũtaxat vulgo, ſed ex illuſtriori quoque genere, plurimi enim, ſiue doctrina, ſiue Eccleſiaſtica dignitate, ſiue generis nobilitate, inſignes, eoſdẽ tremores quos cęteri paſſi, cum diù multumque reluctaſſent procumbebãt in terram, ijdemque cum ſe erexiſſent, eodem ardore perciti multarum horarum habebant haud præmeditatas orationes, non minori ipſorum concionantium quàm audientium vel admiratione vel fructu. Quidam etiam quod nihil tale apud ſacram Pilam illis accidiſſet, dum vel tacitè, ſibi applauderent, vel apud alios gloriarentur, tametſi iam digreſſi ab ea multo grauiori ac diuturniori agitati tremore ſuæ temeritatis pœnas dederunt, vel certè in ingentes lachrymas ac gemitus reſoluti, ita vt cæteris ſpectaculo fierent, nonniſi diuinitùs ea fieri fatebantur.

Modus autem hi, ſanitatem vel quampiam gratiam percipiendi, ab ipſa ratione diuinæ prouidentię omnia ſuauiter diſponentis, haud abhorrebat, vt enim de tremoribus & deliquijs agamus, eorum qui

alicuius membri, vel totius corporis [illegible]iebant ſanitatem, modum naturæ magis accommodatum eum eſſe ſatis conſtat, ſi per temporum incrementa cum tremore, & ſenſuum alteratione bonam valetudiné quis conſequatur, quam ſi inſtanti nulla (cuius quidem ſenſum habeat) alienatione præmiſſa, id eueniat. Cum namq; ſanitatem quis conſequitur ſupra naturæ modum momento temporis, non ex eo ſolum miraculum eſſe arguitur, quod ſanitatem præter naturæ vim conſequitur, ſed etiam quod nullo, vel breuiſſimo temporis interuallo; naturales enim cauſæ nonniſi per incrementa temporum effectus ſuos producunt, per quæ ſcilicet diſpoſitiones nouæ formæ cógruentes in materiam ſucceſſiuè introducuntur. Huic igitur naturæ mori ſe accommodat vis diuina, quando id quod in inſtanti, & nulla quæ quidem ab ægro percipiatur, alteratione prçmiſſa efficere poterat, hoc ſenſim & per incrementa quædam efficit, ex quo fit, vt dum eam quam natura præſtare haud poterat, neceſſariá diſpoſitionem recipiunt membra, dumq; ad illam fouendam concurrunt ſpiritus, tum vitales, tum animales, ab exercitio externorum ſenſuum, & vitalium functionum auocentur; ex quo neneceſſe eſt, vt ægri velut intermortui iaceant, ſeu à ſenſibus alienentur, quod in ecſtaſim rapi dicimus, quodque ab ſpiritibus deſtituta membra contremiſcant; in ijs ſi quidem ſpiritibus omnis calor vitalis ineſt, quo deſtituta membra tremunt, vt cernere licet in ijs qui vel fugent, vel pauent, vel acceſſum febris, patiuntur, calore ſcilicet ad cordis cuſtodiam aduocato. Adde quod dum vis illa diuina in corpore operatur, laborat ipſa natura, dú quæ ſupra ipſam súť

Ariſt. l. 4. de Phyſ. aud. c. 14

Lib. 2. de cælo. c. 8. patitur, labor[redacted] vero (ſi Ariſt. credamus) cõſequitur tremor; ideo namque ex eius ſententia aſtra aplani inherentia ſcintillare videntur, quod aſpectus ſeu potentia viſiua cum longius intenditur laboret propter imbecilitatem, ac proinde titubet ac tremat, tremor porro eius facit, vt aſtrum moueri loco videatur, quæ ſane minus mirandum eſt quod ita accidant, dum viuens animal alicuius membri ſanitatem ſupra naturæ vires recipit cum hoc ipſum aliquando eueniſſe ſciamus in reſuſcitatione mortuorum; in qua tota forma ſimul in corpus introducitur, vt de puero

4. Reg. c. 4. quem Eliſæus reuocauit ad vitam habetur is enim nõ statim [redacted] reuixit, ſed prius calefacta eſt caro pueri, deinde oſcitauit ſepties, tum oculos aperuit, poſtremùm viuus è lecto ſurrexit: de puerulo etiam quodam quem ſuſcitauit ſanctiſſimus Pater Benedictus,

Dial. l. 2. c. 32. hæc habet Diuus Gregorius regrediente anima corpuſculum omne contremuit: vt ſub oculis omnium qui aderant apparuerit cõcuſſione mirifica palpitaſſe. Nec tamen quis dubitare poteſt, quin eodem temporis momento potuerit Deus hunc illumue puerum ſuſcitare, ſicut eorumdem precibus vel meritis in a-

4. Reg. 13. lijs præſtitit; Eliſæi quidem meritis quando proiectũ cadauer in ſepulchrum ipſius, ſtatim ac tetigit oſſa illius, reuixit homo, & ſtetit ſupra pedes ſuos. Diui autem Benedicti precibus in puero, quem ruina muri ita oppreſſerat, vt collapſi ſaxa parietis, non ſolum eius membra, ſed etiam oſſa cõtriuerint, ex quo in ſacco ad eum fuerit deportatus, pro quo vbi primùm orationi incubuit, mira res (ait idem Gregorius) eadẽ hora hunc incolumem, atque vt prius valentem ad

eundem

eundem laborē miſit. Verum enim vero, modò Deus vt naturæ authorem ſe probet, naturæ legibus ſe accommodat, dum regrediente anima ſucceſſiuè, & in morem agentis naturalis neceſſariam potentiarum diſpoſitionem organis confert, modo vt iiſdem legibus ſe abſolutum indicet, eodem momento, & diſpoſitionem, & formam introducit.

Eorum vero quos ij qui nullam corporalem gratiam recipientes tremores ac ecſtaſes patiebantur, difficilior ſanè inueſtigatio fuit, quare quemadmodum ſi quod doctiſſimi illi viri in medium attulerint, accepiſſem, libenter ſanè poſteris tradiderim; ita mihi indulſiſſe velim, ſi meas opiniones hic coniectando interponam, ne rem ſcilicet intactam abire ſinam cuius etſi exemplum aliquod fortaſſe præceſſit, non enim admodum ab ijs diſcrepans quæ Sixto quinto Pontifici eueniſſe tradunt ſcriptores, nullus tamen propriam rationem reddere ſit conatus, quam tamen non inueſtigabilem is fateatur oportet, cui ea quam modo attulimus aſſertio probetur; videlicet ſolere Deum nonnunquam in patrandis miraculis vſitato naturæ modo ſe accommodare. Porrò naturæ modus eſt non per incrementa temporum duntaxat agere, ſed etiam per contactum; vt vere dixerit Philoſophus: nihil interiectum eſſe inter id quod immutatur, & id quod immutat. Ex quo illud Philoſophorum axioma, nullum agens (naturale ſcilicet) agit in remotum, neque vero neceſſe eſt, vt is contactus corporeus ſit, ſed ſatis eſt quod ſit virtualis, quod agens ſcilicet tangat patiens media aliqua forma actricè, quales ſunt cœleſtium corporum influxus, elemento-

Ariſt. li. 7. de phyſ. auſ. cap. 2. & lib. 1. c. 6. de ortu & inter.

Digitized by Google

rum primæ qualitates, mixtorum innatæ virtutes. His ſic ſtatutis, dicimus duplici modo ſe habere Deum in patrandis miraculis: & prior quidem modus eſt ſi ea efficiat ſolo ſuo nutu, nulla creata qualitate media; alter vero ſi legibus naturæ (quæ ſuæ vtiq; leges ſunt) in hoc etiam accommodans ſeſe, mediam quandam creatam qualitatem adhibeat, qua in modum agentis naturalis virtualiter corpora contingat, quæque velut naturali vi formatrice in male affecta potentiarum organa neceſſariam diſpoſitionem introducat. Hanc porro qualitatem eam ipſam eſſe cenſemus quam numen, vel præſentiam numinis nonnulli au-ctores dicunt, quamque ſacra ſcriptura modo ſpiritum Domini appellat, vt Numer. 11. *Auferam de ſpiritus tuo tradamque eis.* Et 4. Reg. 19. *Et requieuit ſpiritus Eliæ ſuper Eliſæum*, modo virtutem nuncupat, vt Lucæ 5. *Et virtus Domini erat ad ſanandum eos*, quod ne quis de ipſa omnipotentia ipſo nutu miracula operantis interpretari poſſit eiuſdem Lucæ, & Marci etiam authoritas obſtat, vtérque enim tradit, dum Saluator à turbis comprimeretur, mulierem quæ ſanguinis fluxum patiebatur ad eum acceſſiſſe & fimbriam veſtimenti eius contigiſſe, ac confeſtim exeunte virtute de illo ſteriſſe fluxum ſanguinis eius. Id vero cum perſenſiſſet Saluator, ac quæreret quiſnam eum tetigiſſet, dicentibus diſcipulis. *Turba te comprimunt, & tu dicis quis me tetigit?* reſpondiſſe, *tetigit me aliquis, nam ego noui virtutem de me exiiſſe.* Non ergo de ipſa omnipotentia ſed de creata aliqua virtute id intelligendum eſt, quæ ab eo exiens verè virtualiter infirmos tangeret, ac tangendo ſanaret iuxta illud eiuſdem Lucæ, *quia de illo virtus exibat, &*

ſanabat omnes. Hoc ipſum de Beatiſſimo Patre noſtro Bernardo diſertè tradit Gofridus, qui vitam eius tertio loco conſcribere eſt aggreſſus; videlicet quod cum miracula ſanitatum operaretur, ſentiebat interdum ex ſe exire virtutem quandam quæ in infirmos emanans ſalutem illis conferebat, cuius tamen nec rationem, nec egrediendi formam vllo modo explicari poſſe dicebat.

Cum itaque iuxta priorem modum aliquod ſit miraculum ſolo ſcilicet Dei nutu, nullus iam ſequetur præcedetve timor tremorve, cum ipſa Dei omnipotentia, nullo ſenſu percipi poſſit, vtpote res diuina, & omnino ſpiritualis, ſi vero iuxta alterum modum miraculum patratur, vix ſine tremore fieri poterit cum ea creata qualitas ita in modum naturalis formæ, vel accidentis operetur, vt per ſe tamen res ſupernaturalis ſit, ex eo namque quod naturalis formæ more operatur, ſenſu percipitur, ex eo vero quod per ſe res ſupernaturalis eſt, ad illius ſenſum ratione iam allata naturæ imbecillitas contremiſcit. Eſt autem res ſimillima ei, quæ accedente ad hominem mortalem immateriali ſpiritu euenire ſolet, is enim ſi modo ſibi connaturali homini appropinquat, quod facere credimus Angelum cuiuſque cuſtodem, ſicut eius præſentia nullo ſenſu percipitur, cum ſenſus in res immateriales non feratur; ita nullam in homine alterationem facit. Idem vero ſpiritus ſi mortali propior fiat, aëreo corpore ſibi coaptato, iam vſu cognitum eſt, non modo eius præſentiæ ſenſum, vtpote rei quæ ea ratione facta eſt materialis, & ſenſibilis, hominem percipere, ſed ad eam etiam contremiſcere, tanquam ad ſenſum rei quæ naturalem modum excedit, cum

fieri nequeat, vt præter ipſam efformationem, & motum, aliquam ſuam virtutem aſſumpto corpori Angelus ſiue bonus, ſiue malus non communicet: quæ proinde ab homine mortali ſine labore aliquo non valeat præſentiri. Id quod etiam, quoad bonos Angelos pluribus ſacræ ſcripturæ locis comprobaremus, niſi inſtar omnium eſſe poſſet quod Eliphas
Iob 4. apud Iob, ſibi accidiſſe narrat *Pauor* (inquiens) *tenuit me & tremor, & omnia oſſa mea perterrita ſunt, & cum ſpiritus me præſente tranſiret, inhorruerunt pili carnis meæ.* Quem ſpiritum viſibili indutum fuiſſe forma ſatis indicat dum ſubdit. *Stetit quidam cuius non agnoſcebam vultum, Imago coram oculis meis.* Id ipſum de cacodæmonibus eædem ſcripturæ docere videntur, dum eos piloſos appellant, vt Iſaiæ 13. *Et piloſi ſaltabunt ibi.* Et ca. 14. *Et piloſus clamabat alter ad alterum*: quod ſcilicet eos horripilare faciāt qui in eos inciderint, quod etiā clarius colligitur ex Leuitici 17. Nā vbi noſtra editio habet *Et nequaquam vltra immolabunt hoſtias ſuas dæmoniis.* Eugubinus adnotat Hebraicè haberi (*ſaſchgirim*) hoc eſt facientibus horrere pilos. Quæ igitur accedente ad hominem tali ſpiritu horroris cauſa eſt, eadem tremores illos, & ecſtaſes in percipientibus gratias apud ſacram Pilam ciebat, præſentia ſcilicet rei quæ ſimul ſenſibilis eſſet, ſimul etiam ſupernaturalis qualis eſt, & corpus aëreum hominis imagini conformatum quod induit ſpiritus, & qualitas illa creata qua Deus, velut inſtrumento virtualiter infirmos contingit.

• Hæc igitur virtus cum proculdubio locum ipſum in primis in quo tot miracula viſebantur obumbraſſet, & ſubinde ea loca vbi agmina eò tendentium, vel

inde redeuntium conueniebant ad gratias concedendas inſediſſet; nihil mirum ſi illius vim non modo ij qui ſanitatem recipiebant, ſed alij paſſim qui eos circunſtarent, prò varia eorũ diſpoſitione perſentirent, indéque non ſecus, ac illi obrigeſcerent, vel concuterentur tremore, argumento eſt, quod qui ex loco in quo cæteri contremiſcerent ſe proripiebant, caſus, & ecſtaſes plerumque vitarent iuxta id quod legimus apud Danielem cap. 10. *Vidi autem ego Daniel ſolus viſionem, porro viri qui erant mecum non viderunt:* (Angelum ſcilicet indutum lineis qui ei apparebat,) *ſed terror nimius irruit ſuper eos, & fugerunt in abſconditum. Ego autem relictus ſolus vidi viſionem grandem hanc, & non remanſit in me fortitudo, ſed & ſpecies mea immutata eſt in me, & emarcui nec habui quicquam virium*, quem igitur tremorem fecerat præſentia Angeli, qui hominis ſimilitudinem induerat non Danieli modo cui apparebat, ſed & ijs etiam qui prope eum erant, hoc ipſum virtus illa diuina efficiebat in ijs qui propiores erant ſacræ Imagini, vel ijs in quos eadẽ illa virtus inde emanans ad ſanitatem conferendam ſe ſuperfundebat. Quod namque beato Bernardo Deus preſtitit, vt ſcilicet ex ipſo in alios virtus illa diffunderetur, hoc Imagini, beatæ Virginis, ſeu illius ſacello præſtare potuiſſe quis ambigat? Nec ſanè hæc opinio infirmatur èx eo, quod non ſemper, vt quiſque proximus à cadente erat per omnes indiſtinctè ad extremos vſq; peruaderet, ſed quandoq; intactis ijs qui proximiores vel ſacræ Imagini, vel infirmis conſtitiſſent, remotiores quidã illa eadem paterentur: namq; in primis exiſtimari poteſt eos ſi non corporalem, aut ſenſibilem, ſpiritualem, ac inuiſi-

bilem gratiam recepiſſe. Tum etiam dicimus virtutem iſtam etſi naturæ modo in aliquo ſe accommodet, per ſe tamen rem diuinam, & ſpiritualem eſſe, ad eamque proinde ſpiritualibus magis greſſibus, qui ſunt mentis affectus, quá corporalibus vnumquemque fieri propiores. Sed ſiue hac ſiue alia ratione tremores, illi ecſtaſeſque fierent, poſteaquam ſatis toti concilio perſuaſum fuit eas, vt plurimum virtuti diuinæ eſſe attribuendas in eo omnium cogitatio defixa fuit, quoſlibet inire modos, vt quem intenderet fructum Deus ipſe, perciperet, omneſque aditus ſerpenti tortuoſo præcludere, ne in hoc opus diuinum ſe inſinuaret; ſæpe enim pro diuinis ſua ſupponendo hoc agit, vt vel ſimilitudine rerū deceptos homines, in errores pertrahat, vel minus authoritatis habeant diuina quibus aliquid erroris annecti appareat, vel apud infideles ſaltem infamentur. Multa igitur ſalubriter ſancita, quibus & quæ emerſerant incommoda ſublata, & ne alia ſuborirentur quantum humana proſpicere prudentia valuit: cautè conſultum inter cætera, ne quæpiam ſocietas, vllumue agmen coiret, niſi cum ſacerdotis alicuius interuentu, & de Superiorum licentia: ne poſt ſecundam noctis horam Eccleſiæ fores cuiquam paterent, niſi integræ ſocietati, nec opinato aduentanti, vbi ſupplicaſſet egreſſuræ: Sacerdotes illas comitantes illarumvè præfecti contremiſcere occipientes ne in terram dilaberentur prohiberent: diuini nominis, vbi res tuliſſet conteſtatione adhibita prolapſum erigerent: & ne quæ fraus ſubeſſet curioſè diſpicerent; vbi nec tremor, nec caſus prohiberi poſſet, tum ne vociferatio vlla, vllavè concurſatio circa eum fieret tanquam ad rem nouam, ſed

cœptum proſequerentur iter, vno aut altero ad illius cuſtodiam relicto, vel certè vehiculo impoſitum ſecum adducerent; conciones qui ceciderant ne haberent: fœminæ ne paſſis crinibus incederent: neue quiſquam ſua, neu aliorum peccata pateface-ret: qui ſponte ſua in terram prolaberetur graue peccatum ſe peccaſſe ſciret, à quo nonniſi de Epiſcopi licentia, ac publica pœnitentia eſſet abſoluendus. His aliiſque promulgatis Decretis, quò omnia ab errore tutiora erant, eò maiorem, & reuerentiam loco, & animabus fructum attulêre. Perdurarunt hi tremo-res ad multum tempus cum aliqua fręquentia: de-inde cum iam eos ipſa fræquentia minus admiran-dos faceret, ex quo iam ad augendam loci religio-nem, vel ad deterrédos homines (quibus potiſſimum de cauſis creditur Deus eos feciſſe,) parum momenti haberent, ſenſim remitti cœperunt.

QVANTA ERGA IPSVM locum religione quiſq; imbueretur.

CAPVT XVI.

ILLVD etiam non leue argumentum præ-ſentis numinis, & ſanctitatis loci haben-dum erit, quod non modo ſummo illius inuiſendi deſiderio arderent vniuerſi, ſed quod qui ſemel illum adierat non ab eo facile dimo-ueri poſſet, & abeuntem etiam magis acrius illo re-deundi deſiderium teneret. Quod enim de ſapientia eſt dictum, præoccupat qui ſe concupiſcunt, vt illis ſe *Sap. 6.*

prior oſtendat, & nō habet tædium conuerſatio eius. Id ibi experiri licebat, vbi ſingulariter ipſa Beatiſſima Virgo, cuius nomine ſicut pleraq; de ſapientia dicta, hæc vſurpantur, ſe præſentem tum multipliciter exhibebat, cuius cum ibi diutius frui cōuerſatione non daretur, id vnum reſtabat ſolatium, vt aliquid quod ad locum attineret ſecum aſportarent, & primò quidem in ipſam Pilam impetus factus, ex qua vnguibus, & cultris non tam colentium quàm rapientium more, fragmentum aliquod amoliri conabantur. Cæterū ipſi ne ſibi eum finxerint metum, an reuera diuina aliqua virtute præpediti qui id furti commiſerant ex Eccleſia pedem efferre non potuerint, quod multorum ſermonibus eſt celebratum, nihil comperti habemus: cum tamen id conſtet ab eo metu nonnulla eiuſmodi fragmenta fuiſſe reportata; Pilamq; ipſam ob id fuiſſe aſſeribus protectam: plurimi etiam eodem ſtudio incitati, locum ad domum ſibi prope Eccleſiam conſtruendam, enixè petierunt, & impetrarunt quidam. Sed nihil adeo hanc in ipſum locum propenſionem nudabat, ac effuſa donandi voluntas; quæ equidem tanta fuit, vt nec verbis dici, nec ſi diceretur ſatis fidei apud poſteros ſit habitura; & iam de ſtudio oppidorum, ac ſocietatum in comparandis muneribus, quæ communi nomine eſſent offerenda diximus ſupra, in quo quidem magis quàm in vlla alia re inter ſe certarunt: vnde factum eſt, vt quod nullas omnino veſtes ſacras, nulla ad ſacra miniſteria vaſa habebat ſacellum; quodque ſub initium prout res haud opulentæ Vicenſium ſunt, colebatur piè magis quàm magnificè; paucos intra menſes non abundauerit modo, ijs omnibus quæ eorū vſus poſtularet;

ſed non

ſed non facilè recenſeri ea omnia poſſent. Nam vt e x pretioſiorum cæterorum copiam æſtimare liceat; per idem tempus; calices ad ſexaginta; pallia quibus exornatur altare ad quinquaginta; omnia ex ſerico, pleraque etiam auro argentoue intertexta, eiuſdemque fere numeri ac pretij planetæ, lychni argenti duodecim, cruces argenteæ, ac argentea candelabra plurima, & in ijs duo eius magnitudinis, quæ ad ſuſtentandos cereos, qui in eleuatione ſalutaris hoſtiæ accenduntur, idonea ſint: Vercellenſis ciuitatis donũ nonnullæ etiam lances cum vrſeolis argenteis; vela ad tegendos calices prope octingenta, quorum ſex quadringentorum aureorum pretium faciũt; ſigna qualia ſolent ſocietates pro vexillo proferre, viginti; totque lintea, vt ea capere locus nequiret. Quæ quidem cum offerebantur, tum ipſa per ſe offerentium pietatem prodebant: tum quæ per ſe grata erant, gratiora faciebat ipſa offerendi ratio. Argentea vaſa ornamentaue ſerica explicata ab puerulis angelico habitu decoris proferebantur: albas quas dicunt mappas cæteramq; ex lino ſuppellectilem, virgines portabant: grauiora quæque, vt campanæ, tigna, calx, cæteraque materies in ædificium Eccleſiæ equis, & curribus vehebantur: hæcque omnia floribus, ac frondibus exornata, dum ſocietates nouenos orbes circumagerẽt ſimul etiã circumuehebantur: ijs expletis beatæ Virgini ſolemni ritu offerebantur, vel ijs per manum ſacerdotis ante altare ſtatutis, vel bubulcis, ac mulionibus ad altare accedentibus, & quos præ manibus habebant cereos eidem tradentibus, à quo benedictionem reportabant; quorum cereorum ab ijs aliiſque oblatorum tanta copia fuit, vt cum iam ad eos ſuf-

pendendos, vel aſſeruandos locus deeſſet, & partis eorum vendendæ initum eſſet conſiliũ, ex ea tria millia ſcutatorum fuerit accepta: nam in materia conuehenda bubulcorum pietas tanta erat, vt ſupra ſeptingentos currus vno die fuerint recenſiti; nec ſabulum modo aut lapides, ſed lateres, tigna, tabulæ, aliaque in vſum fabricæ quę pecunia cōparātur, paſſim aducta. Sed quorumdam factum minimè prętereundum, qui numero quinquaginta, abietem centũ triginta duos palmos longam, via quindecim millium ita ſilueſtri, anguſta ac confragoſa, vt propter iniquitatem locorum iumentis acceſſus non pateret, ſuis humeris deportarunt. Quam pietatem æmulati plurimi, lateres, tegulas aliaque eiuſcemodi in vſum fabricæ, religionis ergo ſuis humeris deferebant: quidam etiã eidem fabricæ operam ſuam ad tempus mancipabant. Sed enim horum quæ ad ornatum ſeu conſtructionem pertinebant Eccleſiæ elargitio non adeò facit, ad illud effuſum ſtudium de quo loquimur, comprobandum; ac illarum rerũ oblatio quæ his vſibus minimè apta erant. Namq; poſtquam illis apud ſacram Pilam diu manere ædium anguſtia non permittebat, & familiaris cura ad ſuos redire vnumquemque compellebant; id ſolatij reliquum eſſe videbatur, vt quæ cuique cariora eſſent, inibi velut pignus ſuæ propenſæ voluntatis relinquerẽt, in ſui vicem ante ſacram Imaginem perpetuò manſura: adeoq; hoc ſtudio flagrabant vniuerſi, vt appareret in eo totos eſſe, vt non iam aliquid pro ſua facultate donarent, ſed ne quid quod offerri poſſet ſibi retinerent. Quocirca cum ea quæ Eccleſiæ vſui eſſe poterant, quæue in animo offerre habebant obtuliſſent, tum quæ in proprios vſus

reſeruabant (tanta erat in largiendo voluptas) certatim tribuebant, nec pecuniam modò, ſed quæ ad ornatum primo, vt torques, annullos, armillas, ſemicinctia, cæteraque iſtiuſmodi, tum ipſas veſtes, quas ingenti ardore detractas recuſantes miniſtros accipere compellebant, eas alioquin quaquauerſum proiecturi: eratq; Chriſtianæ liberalitatis periucundũ ſpectaculum, videre plurimos qui cum pecuniam, vel aliud ad id allatum obtuliſſent, ſubinde haud illiberali adiectione eò deuenire, vt tum demùm offerendi finem facerent, cùm præter eam veſtium partem, quę ſatis eſſet ad tuendam honeſtatem, quod donarent nihil ſibi reliquum feciſſent. Nec defuere qui omnes veſtes detractas, ac in faſcem colligatas è pariete ſuſpenderent, velut anathema ibi permanſuras, poſtquã ipſis in eo loco vitam agere nõ dabatur, vbi mortem libentiſſime oppetiiſſent. Patresfamilias etiam quidam rem domeſticam adeò tenuem, vt cum ſe ſuoſq; ſpoliaſsét, vix ſexaginta aureos effecerint, beatæ Virgini totam obtulerunt. Quæ donationes quod immodicæ eſſent fuere recuſatæ, reſque eorum à cuſtodibus vbi id reſcitum fuit reſtitutæ: quamquam eas prohibere haud facile erat, tantus offerendi ardor pleroſque inceſſerat, vt nec præfecti accipiendo, nec ſcribæ referendo ſufficerent. Multitudine igitur offerentium menſas ad id deputatorum obſidente, plerique ſiue impatientes moræ, ſiue aliud quod magis eos ſollicitos haberet faciendum inſtaret, huc illucue pecuniam, veſtes, & quidquid ad manus veniret ſuarum rerum promiſcuè coniiciebant; ſatis omnia tuta, ſatis bene recondita cenſentes ea, quæ tam ſacro in loco oblata erant, vbi vero nec locus quò proiiceret

occurebat, crumenas auro refertas, etiam pretioſſima quæque obuio cuique tradebant: rati fieri non poſſe, vt quiſquam tam profligatæ impietatis eſſet, qui ſurripere aliquid non vereretur ex eo loco, vbi animos omnium tanta capiebat religio. Eò tandem res proceſſit, vt qui ad illud iter ſe compararent vulgò monerentur, ne quid aliud quod offerri poſſet, præter id quod animo præſtituiſſent ſecum auferrent: quando ne illud quoque donarent, neutiquam ſibi eſſent imperaturi. Quod tamen conſilium non ſatis fuit ad largitionis ſtudium cohibendum, cum plurimi etiam nunc, cum quod offerát pro ſuo impenſo ſtudio apud ſe non habent, alia vbi domos redierint, aut cum iterum adierint locũ tranſmittere, vel affere promittát.

Huius effuſi ſtudij largiendi fidem facere poterant magni pretij infinita propemodum, tam ad virorum ornatum, quam ad muliebrem mundũ facientia: quæ quia in dies corrumpebantur, nulla cum loci vtilitate, & palam poſita impedimento magis quàm ornamento fuiſſent, nec quo ſuſpenderentur erat, diuendita fuere: ex linteis duntaxat ſupra tria millia ſcutatorum effecta: nam pecuniarum oblatarum tanta erat copia, vt vnius hebdomadæ ſpatio ſupra decẽ millia ſeptingenta ſcutata enumerarentur. Vt tamen eiuſdem ſtudij monumentum aliquod extaret, pretioſiſſima quæque ſumma fide ſeruata fuere, quæ etiamnum viſuntur, ſcilicet gemmæ, & aurea quæque ad cultum altaris vel miniſtrorũ minimè apta, quæ ſub cuſtodia quatuor deputatorum, de quibus infrà, aſſeruantur; eius generis ſunt aureæ armillæ, inaures, monilia, thecæ quibus agnus Dei, vel aliæ ſeu ſacræ ſeu prophanæ imagines occluſæ collo ſuſpenduntur,

torques, cruces, & cætera eiuſmodi ex auro, & gemmata pleraque, nec ea in paruo numero cum torques quadragenarium excesſerint; quæ copia ad miraculum eò propius accedit, quo viris fœminiſq; eo tempore ſolẽne eſſet, non modò ſine aliquo ornatu, ſed quam humillimo etiam habitu ſacrũ inuiſere locum. Hinc annulorum numerus adeò ingens, vt non facilè iniri poſſit, non ex eo duntaxat, quod nihil magis ad manus erat, ſed quòd vt cætera ornamenta dimitti non conſueuerint. Intra paucos dies igitur annulorum aureorum (nam argenteorum nulla habita ratio, etſi pauperiorum egregiam voluntatem etiam magis teſtabantur) ad mille quingentos oblati; quorum magna ſpecie gemmati plurimi, vt prædictioni illius fœminæ euentum reſpondiſſe ſatis appareat, quæ annulum offerendo illũ vendi vetuit, affirmando breui fore, vt tota Pila annulis veſtiretur; cùm exindè in immenſum ſit auctus augeaturque in dies eorum numerus. Donaria porro ipſa eorumue qui ea obtulerunt nomina, quæ vtraque in libro ad hoc comparato diligenter ſunt adnotata, hîc recenſere ſuſperſedemus; nam id de ſingulis facere perdifficile ſanè eſſet; alia vero poſthabitis aliis dinumerare non difficile modo, quod plurima inter ſe pretio, & pulchritudine certent, ſed etiam inuidioſum, & eorum magis vitanda eſt offenſa, qui ſua munera præterita cernentes, ea minus æquo æſtimata putarent, quàm aliorum quærenda gratia, qui ne hic recipiant mercedem ſuam, ſed integram accipiant ab eo qui videt in abſcondito, ea in abſcondito eſſe magis optabunt. Vt ſilicam mei propoſiti eſſe, non tam rem oblatam quam offerentis animum penſitare, ac proindè res in

Digitized by Google

tantum maioris pretij pluris æſtimare, in quantum illius ſtudij de quo loquimur firmiora ſunt argumẽta.

DVX LOCVM INVISIT.

CAPVT XVII.

VIx dum tãtarum rerum fama crebreſcere cœperat, cum ad Sereniſſimos Duces Carolum Emmanuelem & Catharinam Auſtriacam perlata non minorem motum in ijs fecit, quàm in cæteris feciſſet, & videndi loci in primis ſummum deſiderium accendit, quod tamen ne facerent, obſtitit primò digna principibus in credendo prudentia: ne videlicet ſi minus probata eſſent quæ ferebantur populorum leuitati conſenſiſſe viderentur; bello inſuper diſtinebatur Dux ipſe quod tum gerebat in Allobrogibus, hoſtibus, haud ita pridem Italia exactis: vbi vero ſatis ſuperque eorum quæ vulgabantur explorata eſſet fides, non teſtibus modò auditis, ſed ipſo conſpectu eorum qui aliquod membrum, vel totius corporis deploratam ſanitatem receperant, & à bello fuit laxamenti aliquid, non vltra ſibi cunctandum duxit, quin quantocius ipſe coram gratias perſolueret Deo, ac beatæ Virgini, quòd ad tam mira edenda ſuæ ditionis locum delegiſſet: quo facto etiam ad locum religioſè colendum multitudinẽ quæ ferè regenti eſt ſimilis ſuo exemplo incitaret. Quamquam igitur erat tempeſtas ſatis incommoda itineri, inexplicabiles continuis imbribus viæ, ac inflati amnes, ſub finem menſis Martij Tau-

Digitized by Google

rino cum delecta nobilium manu diſceſſit: ad prima ſuburbia Montis Regalis præcipiti iam die cum deueniſſet, reliquum tamen itineris perficere ſtatuit, laſſitudinem, & omnem aliam difficultatem exuperante pietate, non pertimeſcens: cum viam per ſe laborioſam, longè difficiliorem facerent intendentes ſe tenebræ, & pluuiis liquatę niues; ſecunda noctis hora ad ſacram Pilam peruenit, quam conſpicatus ſummiſit ſeſe, terramque exoſculans ſanctè coluit; ingreſſus ſacellum cum oculos ad ſacram Imaginem conieciſſet, per horæ ſpatium vultu, ac animo in ea defixus hęſit; orationi vt modum imponeret, hora laſſitudineque monente Vicum ſeceſſit; inde vix dum illuceſcente die, ſacramentali confeſſione expiatus ſacellum repetit, vbi non ſacris interfuit modò, ac communionem ſumpſit, ſed nouenos orbes, ac cętera quę peregrinis vſu veniſſent ſingulari pietatis exemplo obiuit; dona prętereà eaque ingentis valoris obtulit; lychnuum argentum librarum ſexdecim affabrè factum; candelabra duo item argentea trigenta pondo; velum auro argentoque ab ipſamet Sereniſſima Coniuge ſingulari arte pictum, veſtes etiam ſacerdotales, cæteraq; miniſtrorum, ac altaris ornaméta ad ſolemnem Miſſarum celebrationẽ requiſita, ex tela argentea, ſetinoque violaceo auro intertexto. Eodem denique quo cæteri donandi ſtudio euectus, detractum è collo pendentem aureum torquem nonginta rubinis, ac adamantibus triginta duobus renitentem, cæteris donis adiecit; decem millibus aureorũ fabricæ etiam attributis. His quæ ad animum religione ſoluendum pertinebant maxima diei parte tributa, tum ijs quibus loci famam, quæ per ſe maxima eſſet, etiam con-

ſtantem facere adiecit animum, & conſtructioni Ecclesiæ in primis. Iam equidem ædificari cœpta erat Eccleſia, cuius etſi amplitudo religioni loci optimè congruebat, forma tamen eius dignitati minimè reſpondere generoſiſſimo Principi viſa eſt. Noua igitur delecta forma, cuius magnificētia celebritati loci, figura vallis ipſius figuræ congrueret; ea namque etſi à ſeptentrione in meridiem propè æqua diſtantia collium decurrat, tamen qua ſacra Pila erecta cernitur eminentibus ei collibus ab ortu brumali, & ab occidente ſeſe recipientibus oblongam planitiem efformat oualem propemodum figuram referentem; hæc igitur oualis figura, vt Eccleſiæ exædificandæ aptior cæteris antelata.

Inter hæc nunquam animum à propenſa in ſacram Imaginem pietate Dux remittebat, ſed identidem illam inuiſens, vbi per commodum rerum agendarum facere poſſet, orationi ſe totum dabat; hinc duas alias nouenas à prandio exegit, alteram pro ſereniſſimę coniugis, ac liberorum incolumitate, alteram pro ditionis ſibi commiſſę ſalute. Cumque Montem Regalem concedere coactus poſtridiè fuiſſet quę è re ciuitatis erant peracturus; non inde tamen abſcedere potuit, quin prius ſacrum ſacellum, comeatum à Beata Virgine petiturus, repeteret: idque ingreſſus cum terram genu flexo petiiſſet, ac oſculo contigiſſet; terra (infit) in qua ſtamus ſancta eſt, abiiciamus vetera calceamenta, ſub hęc dicta ad Imaginem manus tendens, plenus lachrymarum antè altare ita procubuit, vt facile cuiuis fuerit ex oris habitu colligere, quantum pietatis ex contemplatione ſacrę Imaginis hauriret, in quantamuè ſpem impetrandi quę poſtularet

laret

laret erigeretur. Huius igitur pietatis ſpeique plenus ab ea contemplanda diuellitur, idem prorſus quod cæteri redeundi deſiderium ſecum ferens, cui ſatisfacere maturauit, cum primum per tempora licuit, illud ipſum iter ſereniſſima coniuge cum liberis conficere percupientibus.

Huic itaque principum ſolemni peregrinationi ſtatuta dies vigeſima ſeptima Iunij, quo tempore vernis imbribus iam remiſſis, viiſque exſiccatis, velut claſſico exciti populi, excitato rurſus ardore, impetuque animorũ qui per hyemem reſederat, intermiſſas peregrinationes inſtaurabant. Ipſa igitur die Sereniſſimi Duces cum liberis Philippo Emanuele, Victore Amedeo, Emanuele Philiberto, necnon Margarita, & Eliſabetha grãdioribus natu filiabus, primariis quibuſque viris, ac fœminis palatio addictis comitati ad ſacram Pilam peregrinationis ergo iter capeſſunt: vt in re expectata effuſis nõ vrbibus modò officij cauſa, ſed agreſtium turbis obſidentibus vias, ſucclamationibus, aliiſque, quibus effuſa lætitia populorum ſignificari ſolet, vbique recepti ab ijs, qui ſimul fœlicitatem ſuis Principibus ominabantur, ſimul eorum pietatem in Beata Virgine colenda commendabant, Montem-regalem peruigilio eiuſdem Viſitationis deueniũt; ipſo die feſto ad ſacram Pilam ire pergunt; Dux quidem ſcipione, quali Peregrini vtuntur, innixus pedes ibat, non magis tum veritus æſtũ, quàm cum primo locum adiit noctis, aut cœni incommoda pertimuiſſet; Ducis exemplum ſecuta nobilitas, ſcipionem quiſque tenens longo agmine ſequebatur. Hoc idem facere ſereniſſimæ coniugi in animo erat, ægreq; ab ea Dux obtinuit; vt quoniã vterũ gerebat

ſella ſe permitteret deferri. Principes quoniam ſatis imbecillis ætatis erant, natu quippe maximus Philippus decimum vix dum attigerat annum, rheda ſubuecti, vſque dum ad conſpectum ſacræ Pilæ venirent: tum enim cum matre ad pedes deſcendunt, & præeuntibus tribus Principibus, ſubſequente vtroque parente cum filiabus, & poſt eos nobiliſſimo quoq; cum cætera turba proſequente deuenitur ad ſacram Pilam, vbi in lachrymas, & vota effuſi eoſdem animorum motus ſunt experti. Poſteaquam non ad ſatietatem, quantum tamen multorum imbecillitas, & hora permittebat, quam ſacra Imago pietatem ſpirat, oculis animiſque hauſerunt, quod ſupererat diei traduxerunt in luſtrando loco. Admirationi illis ante omnia fuit tabellarum copia, quas acceptæ ſalutis teſtes ægri ſacrauerãt, iis ſi quidem ſacelli parietes vndiq; veſtiebantur. Miraculo etiam fuit multitudo donorum, quibus ſua munera addidit ſereniſſima Duciſſa vmbellam, Planetam, & altaris ornatum, partim ex ſætino aureis floribus phrigio opere contexto, partim ex tela argentea eodem opere diſtincta floribus, burſam ex eadem materia cum duobus corporalibus. Sed longè maximum donũ fuit duplex diadema, alterum quidem Beatæ Virginis, alterum pueruli diuino capiti imponendum, aureum vtrumque, ac pretioſiſſimis gemmis & vnionibus diſtinctum; maius quippe quatuor ordinibus vnionum eximiæ magnitudinis ambitur, præter quas aliæ ſeptendecim vniones variis locis erant diſpertitæ: gemmæ erant, ſmaragdi tres oncialis magnitudinis; balaſſi duo eiuſdem magnitudinis; ſmaragdi minores triginta quinque in laminis, quæ ad imitationem factæ diadematis impera-

torij crucem ſuſtentant; centum quinque vniones aliæ viſuntur; in cruce ipſa duodecim rubini, vnioque maxima; ſimilis opere minor eſt corona, ſed cui ſicut non eadem eſt magnitudo, ita aliquanto minor eſt gemmarum, ac vnionum numerus, eiuſdem tamen magnitudinis & pretij.

Parentis optimæ exemplum ſequuti liberi, ſua munera ſinguli obtulere: cordis figuram auro ſolido expreſſam eius magnitudinis, quæ pro cuiuſque ætate, cuiuſque cordis magnitudini reſponderet, additis etiam à filiabus duobus cordibus duarum ſororum nomine, quæ domi ſubſtiterant Mariæ & Catharinæ & à Philippo, altero corde nomine Mauritij eius fratris, nunc Cardinalis ampliſſimi: nam Thomas Franciſcus is erat, qui tum in vtero geſtabatur. His aliiſque eximiæ pietatis editis ſignis, ne ſpecie quàm fructu ea peregrinatio dignior eſſet, nouem dies apud ſacram Pilam exigere decreuerunt: qua ratione non Principes modo ſumma cum aſtantium ædificatione, confeſſioni, & communioni vacarunt, ſed vt hoc idem præſtare poſſent qui eos fuerant proſequuti, prouiderunt. Inſigne etiam ſpectaculũ dederunt, nouenos orbes ſingulis diebus circumagẽdo, tamque piè & aſſiduè ante ſacram Imaginem incumbendo, vt cæteros ad idẽm peragendũ quamefficaciſſimè inuitarint; neue ipſis eadem quæ cæteros permouebant inuitamenta pietatis deeſſent, plurimæ per eos ipſos dies conceſſæ gratię, continuati ijdem tremores & caſus, nonnulli etiam eorum quibus pręter omnem vim naturę, vel conceſſa ſanitas, vel reſtituta membra, in conſpectum omnium adducti, ad miraculorum quæ vulgabantur faciendam fidem.

NOVÆ ECCLESIÆ fundamenta iaciuntur.

CAPVT XVIII.

CVM eius quæ ædificari cœpta erat Eccleſię forma minus congruere dignitati loci (vti iam diximus) Sereniſſimo Duci, cum primò locum adiit viſa eſſet, & nouæ Eccleſiæ conſtruendæ inito conſilio, illud tum quidem exequi non licuiſſet, quod alia ſibi eſſent peruertenda, & cætera non conueniſſent, in hoc ipſum tempus reiecta res eſt, quo cum Sereniſſima Coniuge nouendiale ſacrum inibi erat celebraturus: angulari igitur lapidi ſolemni ritu deponendo in fundamentis, quæ firma eſſent ſuſtinendæ teſtudini, centum quinquaginta palmorum in longitudinem habituræ, dies ſeptima Iunij, quæ & dominica erat ſtatuitur. Eam vt quam celeberrimam facerét Montis Regalenſes anniſi ſunt, & fama ipſa ad vicinos perlata ad eam concelebrandam vniuerſos exciuit. Quadraginta itaq; ſocietates ſaccorum varietate inter ſe conſpicuæ eò conuenere, viſendæ etiam quod plurimij in eis diuerſarum perſonarum, tum ex veteri ſynagoga, tum ex Eccleſia inſigniores actus referebant; quarum magna pars, cum in ipſa valle nouenis cóficiendis noctem traduxiſſent inſomnem, hymnis, ac luminibus priorum noctium gloriam redintegrarũt; nocturnis ſpectaculis diurna continuantur eo gratiora, quòd & omnia magis conſpicua diurna lux efficiebat, & quæ alibi pernoctarãt ſocietates, quæque domo noctis ſilentio profectæ

Digitized by Google

erant aduenientes, noua ſemper ſpectacula præbebant. Quibus ne ipſi ciues ceſſiſſe viderētur, ſolemni proceſſione exteros ſunt ſubſequuti, nonnullis etiam pueris Angelorum habitu, varias Dei virtutes ſeu attributa, actionibus ad rem ſatis accommodatis, repræſentantibus, poſtremū agmen qui Religioſorum erat, claudebat Clerus ſecularis, in quo erāt tres Epiſcopi, Ventiēſis, Montis Regalēſis, & Foſſanēſis. Hos ſequuti Sereniſſimi Duces cum liberis, qui in oppido Vico noctem trāſegerant, proceſſioni ſe cōmiſerunt. Latera eorum cingebat ducalis cohors, cuſtodeſque corporis, in quibus puellę matronæue, quæ in palatio degunt, procedebant, & proximè eas nobiliſſimi quique qui Ducē fuerant comitati. Vbi ad decliue collis, vnde in ſubiectam vallem patet proſpectus, deueniebant, non tam varietate quàm multitudine perſonarum recreabantur, & Sereniſſimi Duces in primis, qui vltimo ferè loco aduenientes, quanta eſſet hominum multitudo diſpiciebant. Præter eos namque qui in valle pernoctarant, quique extra ordinem in eam venerant, tanta erat eorum multitudo qui in proceſſione fuerant; vt cum ſeptima hora noctis prima agmina mouiſſent, ad ſacram Pilam hora quinta decima poſtrema deuenerint: vbi cū aliquādiu orationi incubuiſſent, & quas oportebat ad conſequendam indulgentiam à ſummo Pontifice in eius diei gratiam conceſſam, orationes fudiſſent, noua proceſſio ad locum primario lapidi præparato inſtituitur. Qui ſolemni benedictione præmiſſa, Duce cum principibus manus admouente, Matre cum filiabus inſpectante, pro fundamento in ſua ſede eſt collocatus; eius porrò inſcriptio in hæc verba erat.

Deo Optimo Maximo, & glorioſiſſimæ Virgini miraculis coruſcãti, Clemẽte VIII. Pont. Max. Rodulpho II. Imp. Aug. Carolo Eman. Catharina Auſtriaca Ducibus optimis regnantibus, cum Principibus Philippo Eman. Victorio Amedeo, Emanuele Philiberto dulciſſimis filijs manum admouentibus. Ioan. Anton. Caſtrucius ciuis & Epiſcopus Montis Reg. primarium lapidem Aſcanio Vittocio Architecto in fundamentis poſuit Nonis Iulij. Anno CIↃ. IↃ. XC. VI.

Tum à concrepitu maiorum minorumque bombardarum, colles contremuerunt, & à vocibus acclamantium, & variis inſtrumentis ſacri templi fœlicia principia concelebrantibus perſonuit vallis; quam plurima interea aurea argẽteaque, ac ænea numiſmata ſuper primum lapidem Principibus, cũ aſtantibus deiicientibus. Reditum inde ad Eccleſiam, vbi ab Epiſcopo ſolemniter decantata Miſſa: benedictio cum indulgentia impertita: poſtquam ne communis lætitiæ pauperes extorres eſſent, vtque lætitia populo & diei celebritas adderetur, duobus egenorũ millibus Epulum præbitum, diuerſis in menſis fœminis & viris diſcumbentibus. Sed id memoratu dignum, quod ipſemet Dux ſuis manibus eis inſeruiens, ad idem faciendum ſuo exemplo nobiliſſimos quoſque excitauit: quæ cum ad Clementem octauum Pontificem Maximum perlata eſſent, tum ipſe ſummam animi voluptatem percepit, tum Duci ipſi gratulari, non tã quod tali fauóre eum proſequutus eſſet Deus, quàm quod tanta cum pietate ei reſponderet, ſui paterni muneris eſſe ducens, has ad eum litteras dedit.

Clemens octauus Papa. Dilecte fili, nobilis vir ſalutem & apoſtolicam benedictionem, ex litteris. Vene-

rabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Barrenſis, noſtri apud Nobilitatem tuã Apoſtolici Nuntij, accepimus, de pia peregrinatione quam nuper obiuiſti ad ſacram & venerandam Imaginem ſanctiſſimæ Dei genitricis, quæ prope ciuitatem tuam Montis regalis in ſub-Alpinis ſignis & miraculis claret: eoque in munere & religioſo officio te multæ pietatis & deuotionis illuſtrem ſignificationem dediſſe, ſingulari voluptate cognouimus: gaudium enim patris eſt filius ſapiens: atqui vera ſapientia eſt timor Domini ſanctus, & Deo ſeruire in corde perfecto, & bona omnia & ornamenta, & quidquid eſt humanæ fœlicitatis illi ferre acceptum, & ad eius gloriam referre; præcipuè vero ſanctum & ſalutare eſt, confugere ad patrocinium Reginę Angelorum quę authorem ſalutis mundo peperit; quæ eſt mater gratiarum, quas hoc ipſo tam neceſſario tempore Virginis Filius Chriſtus Dominus, per interceſſionem chariſſimæ Matris ſuæ ad gloriam ſuã, & multarum animarum ſalutem in te, & in populos tuos tam copioſè effundit. Gratulamur tibi hanc piam mentem, & quod tuo exemplo aliis ad pietatem præluceas: nam plerique omnes principem imitantur & ſequuntur: his rationibus optimè gubernatur, & hæc ſunt ditionum, ac ſtatus firmaměta, habitare in adiutorio altiſſimi & in protectione Dei cœli & beatiſſimæ ſemper Virginis commorari (& poſt alia) ſecundet Deus, fili conſilia & actiones tuas, addat tibi, & filiis tuis annos vitæ, & diuinæ gratiæ abundantiam, vt hic fœliciter diu agas, & bonis ſempiternis in cœlo fruaris, &c.

CISTERCIENSES Monachi ſacræ pilæ cultui præficiuntur.

CAPVT XIX.

PER eos ipſos dies, quibus Dux cum coniuge, ac liberis apud ſacram Pilam fuit, tum multa, quæ ad proſperum ſtatum loci facere viderentur prouidit, tum Eccleſiæ cultui conſulendo, vt Monachi Ciſtercienſes, Cõgregationis Fullienſis in illius poſſeſſionem mitterentur effecit. Non enim antea conſtans fama eorum quæ ad ſacram Pilam fiebant, ad ipſius celſitudinem eſt perlata; quin ſtatim ipſe cogitarit, qua ratione potiſſimum illius cultui eſſet prouidendum. Licet verò nonnullæ aliæ religioſorum familiæ tam inſigni loco potiri adniterentur, ſua ſponte tamen, Sereniſſimi Principes, tantum beneficium in ipſos Ciſtercienſes Monachos collocare ſtatuerunt. Cuius electionis & cõſilij cauſa, num cui noſtro merito ſit tribuenda viderint alij; noſtrum certè erit, beatæ Virginis ſingulari munere id factum eſſe fateri; quæ videlicet tanto beneficio, ſuam in eum ordinem perpetuam beneuolentiam teſtatam eſſe voluit, quam multo antequam inſtitueretur, dulciſſimæ prolis loco ſe habituram iam olim profeſſa fuerat. Dormienti namque Engardi, dum beatum Robertum Ciſtercienſium primum inſtitutorem in vtero haberet in ſomniis obuerſata, vt filiũ quem paritura erat ſibi matrimonio conſociaret, pręcipiebat. Atque dum Engardis euigilans velut ad ſomni

ſomni vanam ſpeciem hæreret, iterum oculis eius obuerſata, ſic ſe rem habituram eſſe affirmauit. Vt igitur & Roberti & beatæ Virginis vera ſoboles probaretur Ciſtercienſis Ordo, à primæua ſua origine ſe ſuaq; omnia ſolemni decreto eidem beatæ Virgini conſecrauit; addendo, vt in huius rei teſtificationem omnes eiuſdem Ordinis Eccleſiæ ipſi Virgini ſanctiſſimæ dicarentur: ad hæc multa alia ſanx it[illegible] ad illius cultum facientia, in quibus haud facilis eſſet imitatio: quamquam vt præcipuo patrocinio hunc ipſum Ordinem foueat, vel ex eo, (quando cætera deeſſent) ſperare licet; quod in illo ſanctiſſimam vitam duxit Diuus ille Bernardus, quem in ea colenda, & celebranda, nulli ſanctorum doctorumuè ceſſiſſe, ne dicam primas tenuiſſe eſt in confeſſo. Tū vero & hoc ipſum acceptum ferre iuuat ei pietati in ipſum diuum Bernardum, eique beneuolentiæ in eius alumnos, quam vterque Sereniſſimorum Ducum velut hæreditariam à ſuis progenitoribus accepit. Nam de Amedeo ſecundo Sabaudiæ Comite, & ipſius diui Bernardi æquali, qui res Allobrogum ſcripſerunt diſertè tradunt, ſanctiſſimum hunc noſtrum parentem apud illum in tanto honore fuiſſe, vt eius duntaxat authoritate permotus, cum Ludouico iuniore Galliarum Rege, ſororis filio, in gratiam redierit, quod ad eam diem, etſi multorum precibus fatigatus, denegarat. Cuius & antea meritis (vt iidem tradunt authores) è ſterili coniuge filium ſuſceperat, cui Vmberto tertio nomen fuerat, in cuius beneficij memoriam, Sanctæ Mariæ cœnobium cum conſtruxiſſet, duas alias adiecit Abbatias; videlicet ſancti Sulpitij Strimedium dicunt, & Altæcumbæ. Tandem ab eodem Diuo Ber-

Lympheri Cāper. Ioannes Vuādesbur. Boeterus in Amed. I.

R

nardo, vt terræ ſanctæ opem ferret perſuaſus, cruceq; ſignatus, peregrinus mortem pro Chriſto oppetẽdo, piiſſimo fine multa iam antea parta decora cumulauit.

Patris veſtigia ingreſſus Vmbertus, tantum ſtudij in colendo beato Bernardo, & Ciſtercienſibus adiecit; vt eidem Ordini, contempto pro Chriſto principatu, nomen dederit: feciſſetque votis ſatis, ni deficiente Comitum Sabaudorum ſtirpe, monaſterium derelinquere, & regni gubernacula reſumere ipſimet monachi, quibus totum ſe permiſerat, coegiſſent. Eandem vero pietatem quá enixè coluerint illorum poſteri, beneficia in eius ordinis Abbatias collata, & delecta Altæcumbæ Comitum, & Ducũ Sabaudorum ſepultura, ſatis ſuperque teſtantur. Quibus Emanuel Philibertus hoc addidit, vt cum militiam equitum S. Mauritij ab ſe inſtitutam, in ſacrum religioſorum militum Ordinem erigendam curaret; vt ſub hoc ipſo ordine Ciſtercienſi ab ſummo Pontifice Gregorio XIII. collocaretur, obtinuit.

Bulla Inſtitut. eius ordi. anno 1572. b Kalend. Octob.

Nihil igitur mirum, ſi vt tot benefactorum cumulum nouo munere expleret Carolus Emanuel, in deligendis ijs, quos tanti loci ſeruitio deſtinabat, reliquis omnibus ſuos Ciſtercienſes prætulerit. Quorum fidei eodem adnitente Duce, duæ aliæ, quæ inter celebriores Eccleſias beatæ Virginis in Subalpinis primas tenent, ſunt commiſſæ: beatæ Virginis Conſolatricis nimirum, quæ apud Taurinos maxima cum fræquentia colitur, & Teſtonenſis, quæ inter Eccleſias beatæ Virginis quarto loco creditur ędificata, cuius celębritatem & cultum, Franciſcus Hieronymus Vaguonus Caſtri veteris Dominus inſtaurare molitur, Cœnobium iam ab ſe dotatum, in gratiam eo-

rumdem Monachorum apud eam conſtruendo.

Iam vero, quanta pietate Hiſpaniæ Reges, quorum ſtirpis erat Catharina Auſtriaca, Ciſtercienſes coluerint, id in primis argumento eſt, quod religioſos milites, ac magnos Magiſtros ordinum Calatrauæ, Alcantaræ, Monteſiæ, de Auia & Chriſti, qui omnes Ciſtercienſis Ordinis membra ſunt, & eorum aliquot à primæua origine Monachi clauſtrales erant, ſe profiteri non exiguæ gloriæ ducunt. Quorum Regum beneficio, etiam clauſtralium monachorum Ciſtercienſium ſtatus ita floret, vt damna quæ in aliis Prouinciis paſſi ſunt vix ſentiiſſe videantur: obſeruantia ſiquidem, vt in Ordine antiquiſſimo ea eſt, quæ illos ordinis Ciſtercienſis veros alumnos probet: ſtudium litterarum ita viget, vt in octoginta Abbatijs quingenti concionatores cenſeantur; quæ vtiq; ſine ſingulari Regum munere aſſequi non poſſent: quoniam præter cætera beneficia, Abbatias quæ iam in commendam ierant, Monachis ipſis iuxta concilij Tridentini decretum reſtituendas curarunt: præter vnum illudque Illuſtriſſimum Alcobaſſæ monaſterium, quod ipſemet Regis Filius in commendam obtinet; neminemque ad eas patiuntur promoueri, qui Ciſterciēſe inſtitutum non profiteatur; & meritò ſanè, cum (vt hoſtorici Hiſpani tradunt) Alphonſus VIII. ex quo maternam ducunt originem, ipſius D. Bernardi non modo ſtudioſiſſimus, ſed etiam gentilis fuerit. *Ioannes Mariana, li. 10. c. 12.*

In horum igitur Ciſtercienſium gratiam, Sereniſſimi Duces ab Clemente VIII. pontificium diploma impetrarunt, per quod Sacellum, ſeu Eccleſia ipſa in Abbatiam ordinis Ciſtercienſis Congregationis Fulienſis erigitur, eiuſque ædificia, cenſus, reditus,

ac cætera quæcumque iura ipſis Monachis attribuuntur: cuſtodia tamen gemmarum & pecuniarum in fabricam Eccleſiæ erogatarum, quandiu Eccleſiæ ſtructura durabit, tribus deputatis delegata; quorum primus ab Sereniſſimo Duce, alter à Reuerendiſſimo Epiſcopo, tertius ab Abbate eſt eligendus: eiſdẽ etiam deputatis, Monaſterij & Hoſpitalis conſtruendi cura demandata erat; Sed iam Hoſpitalis eſt perfecta conſtructio, Principis munificentia, & Senatoris Guidetti opera, qui tria millia aureorum ab ipſo Duce beatæ Virgini oblata, præter nonnullas alias priuatorum eleemoſynas, in illam impendit. Monaſterij verò ædificandi prouincia ipſis Monachis integrè commiſſa per aliud diploma, iuxta quod, quartus deputatus ab ciuibus eligendus, tribus prioribus eſt additus. Neque enim facilè fuiſſet, ipſis Monachis adeò paucis numero, qui vix diuinis officiis celebrandis ſuffeciſſent, hoc munus obire: quę etiam Monachorum paucitas in cauſa fuit, vt cum audiendis confeſſionibus non ſufficerent, ex Patribus Ieſuitis, nũc plures, nunc pauciores, ac tandem vnus, ex eleemoſynis fabricæ aſſignatis, per aliquot annos inibi fuerit enutritus: Sed cum iam remiſſa eſſet ea frequentia, integrũ hoc munus cum Pœnitentiariorum nomine, ac prærogatiua, ab eodem Clemente VIII. ipſis Monachis eſt demandatum. Ex quo tam vberes fructus, & id magis in dies extare adeò non dubitamus; vt quãdo nihil aliud hac in re prorſus ſit actum, non fruſtrà tamen tot miracula effulſiſſe videri poſſint. Hac itaque ratione Eccleſiæ cultui & conſtructioni, ex ſua ſententia cum proſpexiſſent Sereniſſimi Principes, tam propenſa in eam voluntate, tantoque eius religionis augendæ

ſtudio, ab ea diſceſſere; vt ſi vita longior religioſiſſimæ Duciſſæ ſuppetijſſet, haud dubium fuerit, quin ſtructuræ Eccleſiæ dignus tanto loco, dignus etiam tantis Principibus exitus impoſitus iam fuiſſet. Sed illa inſequenti anno immatura ſibi, ſuæ vero ditioni, imo toti orbi Chriſtiano (vt res poſtea docuit) etiam lugubri morte abrepta; Duce autem aliis ſuper aliis bellis diſtento, deferueſcere primò opus cœpit; tum exigua admodum accipere incrementa: licet enim plurimę erant ex eleemoſynis contractę pecunię; earũ tamẽ maxima parte in coëmẽdis cenſibus abſumpta, reliqua ad muros è terra eruendos vix ſatisfuit. Et quamquam in dies, Dux ipſe plurima obtulerit, nec eleemoſynę vnquam defuerint; tamen, quod Ducis dona non eſſent perpetua, ijs bellis ingruentibus quę cuiuis theſauro exhauriendo ſufficiſſent, hęque non ita multæ eſſent (cum ferme fiat in piis ędificiis, vt, ſicut dum feruet opus, creſcit & largientium ardor: ſic è contra elangueſcente opere, elargiendi ſtudium tepeſcat) operi continuando, nedum perficiendo haud ſufficere.... Ad hoc acceſſit, quod non interior modo templi pars, ſed exterior etiam lapidibus elaboratis tota veſtitur, quodque magis longè maioris eſt impendij, pleraque ornamenta ex marmore fiunt, & ſacella potiſſimum: in quibus ſibi ſucceſſoribuſq; ſuis (vt hac quoque in re erga Ciſtercienſes ſtudium imitaretur maiorum) ſepulturã Dux delegit. Adde quod per Subalpinam Italiam mox peruagata peſtilentia, tum qui proximè etiam ſubſequuti sũt bellici tumultus, fræquentiam hominum externæ ditionis (quorum eleemoſynis non mediocriter iuuabatur opus) etiam atque etiam minuerunt; vt quando nullam ob aliam

cauſam, vel ob hanc ſaltem, pax Subalpinis populis fuerit exoptanda: vt ſcilicet, tam inſignis loci religio, ac cultus in priſtinum reſtituatur: id quod eo magis nũc ſperare licet, cum velut acceſſio pacis, ipſa tamen pace longè digniſſimum donum, Chriſtina Borbonia Vittorio Amedeo religioſiſſimo Principi matrimonio ſit iuncta: neq; enim verendum eſt, quin quę invicem imperij Catharinæ Auſtriacæ ſucceſſit, in vicem patrocinij tam ſancti loci nõ ſit ſucceſſura, quinque eam pietatem in beatiſſimam Virginem, quam præ ſe fert eximiam, in hanc potiſſimũ Eccleſiam non effundat; cuius celebritate, velut lucidiſſimo ſyderis radio, eius ditio illuſtratur, cuius cultu quantopere delectetur ipſamet beata Virgo tot prodigiis teſtata ſit, nuncque etiam fræquenti gratiarum collatione teſtetur.

EPILOGVS.

CAPVT XX.

HÆc ſunt igitur beatiſſimæ Virginis prope Montem-Regalem miraculis coruſcantis ſtupenda opera, quorum dignitatem & magnitudinem, etſi ſatis digno ſtilo non æquauerim, dũ tamen illud præſtem, vt omnino loci noſtræ fidei commendati ſacra initia in obſcuro non maneant, operæ pretium me feciſſe putabo. Quanquam vt huic operæ meæ longè dignius pretium futurum ſperem, tum tantarum rerum origo, tum Catholicorum pietas ſuadet: origo namque harum rerum, cum proculdubio diuina ſit, non prorſus diffido

quin eæ legentium oculis vtcunq; ſubiectæ, aliquem eorum quos tum ciebant motus, ſint facturæ. Porrò Catholicorum pietaté in beatam Virginem eam eſſe ſcimus, quę quidquid honori eius promouendo aptũ ſit, id quantumuis rudi modo, fideli ſtilo ſit exaratum, æqui bonique ſit conſultura. E quorum altero cum animarum ſalus, ex altero eiuſdem Virginis Beatiſſimæ colendæ ſtudium, ex vtroque autem diuina gloria qualecumq; acceptura ſit incrementum: nihil vltra boni erit, quod mihi vel optare, vel ſperare liceat. Quæ tria cum inter ſe cohæreant, vt vnum ab altero ſeparari nequaquam poſſit; æquum ſanè erit, vt quicumque beatæ Virginis cultui ſe addictum profitetur, ita ſe comparet, vt non tam precibus, quàm viuendi ratione eius opem in quacumque ſit neceſſitate conſtitutus mereatur impetrare. Ad quam ſperandam quando non alij infiniti eius bonitatis effectus extarent; ſatis nos excitare poſſent, quæ his diebus huius Imaginis reſpectu beneficia contulit, non in priuatos ſolum, ſed in vniuerſam Subalpinorum gentem. Vt enim in deligendo loco vicinarum hæreſum extirpationi potiſſimum conſultum eſſe diximus, ita quod cum hoc loco iſtud etiam tempus delegerit ad hæc patranda, huius gentis ſaluti, ac ſolatio in primis, eam proſpexiſſe non dubitamus. Memoria ſiquidem repetenti [redacted], quis rerũ ſtatus, quæue tempora & præceſſerint & ſubſecuta fuerint, propè compellor dicere, hac in re dediſſe Deum metuentibus ſe ſignificationem, vt fugerent à facie arcus, vt liberarentur dilecti eius; Subalpinis namque eorum plurima ſuppetunt quæ ad temporalem faciunt fœlicitatem, mitiſſimum cœlum, læta accolarum ingenia, nobiliſſimæ

Digitized by Google

fertilitatis ager: cui rei argumentum eſt: quod cum tot ab hinc annis in armis ſint, exterarumque nationum exercitus perpetuo alant, non modo ijs alendis abundè ſuffecit, ſed vicinis etiam populis omnis generis alimenta affatim præbuit. Quocirca nihil mirum cuiquam eſſe debet ſi diuerſis plagis exerceantur, & virga filij percutiantur; ne ſcilicet quod in fertiliſſimo agro, atque omni rerum copia abundanti plerumque fit, otio marceſcát, & homini perniciem inimica animæ otioſitas afferat. Quod vtiq; ſi vnquam alias, certè poſt pacem initam inter Gallos Hiſpanoſq; S. Quintino, auſpiciis Emanuelis Philiberti expugnato, potuit euenire: illam enim fœliciſſimus rerum ſtatus eſt ſubſecutus, reſtituto ſiquidē ſuis eodem Emanuele Philiberto, ſic vt dubites quibuſnam ille artibus belli ſcilicet an pacis magis excelluerit: ita nihil certius quam illam quietem, ac fœlicitatem rei ſpirituali non æquè, ac temporali profuiſſe; quod fermè fiat, vt ſecundæ res temporales in ſpiritualibus procurandis negligentiam creent, diuturnamque fœlicitatem, ac rerum copiam laſciuia ac Dei obliuio comitentur. Quid igitur Deus? debuitne committere, vt quam fidem vicinæ hæreſes per tot ſæcula minimè labefactarunt (agitur enim quintum ſæculum, ex quo Valdenſium errores fines eorum inſederunt) eam peccata, ac vitia corrumperent atque necarent, eſſentque in numero eorum de quibus Iob. *Ducunt in bonis dies ſuos,*
Iob 29. *& in puncto ad inferna deſcendunt. Nimirum quorum do-*
Iob 25. *mus ſecura, & pacatæ & non eſt virga* Dei *ſuper illos, bos concepit & non abortiuit, vacca peperit & non eſt priuata*
Pſal. 88. *fructu ſuo, egrediuntur quaſi greges paruuli eorum, & infantes eorum exultant luſibus tenent tympanū, & cytharam,*
& gaudent

& gaudent ad ſonitum organi. Imo debuit potius viſitare in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum, miſericordiam autem ſuam non auferre ab eis, neque nocere in veritate ſua, permittendo, vt cum finitimis populis (quod vtique horrendum genus eſt. diuinæ vindictæ) à Catholica veritate deficerent, cum adeò facilis à prauis moribus ad prauā fidem ſit tranſitus. Summæ igitur bonitatis, & paternæ charitatis opus fuit arcum tendere, & parare illum, & in eo parare vaſa, mortis: illa vtique vaſa quorum per Prophetam Gad optionem detulit Dauid, vt eligeret vnum 2. Reg. 24.
quod vellet, ex illis, vt faceret ei, vel bellum ſcilicet, vel famem, vel peſtilentiam, vaſa vtique mortis, & ſagittas ardentibus factas, hoc eſt, carbonibus ſuccenſis ab calore diuinæ vindictæ efformatas, quibus, cum Deus iraſcitur populis, ne in æternum damnet, ſaluberiter emendat. Quod enim ad ipſius irati Dei voluntatem hæc ſint referenda, ipſemet ſacræ Scripturæ textus indicat: enarraturus ſiquidem cur hæc optio daretur Dauidi (qui alioqui tanti mali author videri poterat) præmittit hæc verba; *Et addidit furor Domini iraſci contra Iſrael, commouitque Dauid in eis dicentem, vade numera Iſrael, & Iudam*, quæ dinumeratio inferendæ cladis cauſa fuit. Non igitur in principes bellorum aliarumue cladium cauſa eſt coniicienda, quos Deus ipſe cómouet, vt occaſionem ſumat, ſed in populorum peccata, quibus adigitur Deus arcū ſuum tendere, & parare illum, & in eo parare hæc vaſa mortis. Quod tum alias ſæpè, tum his potiſſimum diebus conſtat (non enim, vt Dauidi optio delata eſt) [redacted] Subalpinis populis ~~optionē detulit~~ eligendi ſibi, quod vellent horum trium, ſed omnia tria hæc vaſa ſi

non ſimul inuicem, tamen ſuper eos effuſa vidimus. Primò namque graui, ac diuturno bello ſunt fatigati, cum Duce Aldigherio Galli in Italiam irruperunt. Bellum annonæ caritas, ac fames ſubſecutæ; famem peſtilentia excepit: quâ ſedatâ bello rurſus implicatur, eoque grauiſſimo, ex quo alia, & alia bella ad hanc dié ſata fuere, inter ea quandoque ingruente fame. Quæ tria vtique authoritate ſacræ ſcripturæ, & effectu ipſo vaſa mortis appellare poſſumus: cum præ cæteris, hominum ſtragem edant, & acerbiſſimã mortem ſecum afferant. Hæc itaq; cum Deus ad animarum ſaluté pararet in arcu diuinæ iuſtitiæ, dedit metuentibus ſe ſignificationem, vt fugerent à facie huius arcus, dum tam mira, tam inaudita apud hanc ſacram Pilam ſigna edidit; vt prudens quiſque expectatione erectus, qui rerum ſtatus futurus eſſet, non tacitus ſolum opinaretur, ſed ſermonibus etiam ſereret; vulgatumq; fuerit illud puerorum dictũ (quæ erat tacita diuinatio qualis iam præſagientibus animis imminentis mali eſſe ſolet) has regiones propediem tot militum cohortes viſuras, quot tum peregrinantiũ agmina viſebantur. Quo ipſo à Beatiſſima Virgine monebantur, vt ad eas clades præcauẽdas ad ſuum tam præpotens, quàm res ipſa docebat patrocinium confugerent: ea ſiquidem eſt diuinæ bonitatis conſuetudo, vt quandocumque dilectis ſuis malum aliquod intentat, ſimul etiam remedium oſtentet, quo poſſint illud arcere; piorum parentum in morem; quorum dum alter filiolo virga minatur, alter ad quæ cõfugiat, brachia pandit. Haud diſſimili ratione, has regiones tamdiu bello, fame, ac peſtilentia afflicturus, hanc eis ſignificationem dedit (hoc eſt apud hanc ſacram Imaginem tot ſigna, & tot

prodigia oſtendit,) vt ea admoniti, vel pœnitentia, & oratione illa deprecari, vel optatum certè fructum, ex ijs capere poſſent. æquum etenim fuit, vt quibus tam diuturnã, ac grauem tribulationem parabat, opportunum quoque, vel effugiũ pararet vel ſolatium, qui ſe profitetur adiutorem in opportunitatibus, in tribulatione, & inter aſſiduas clades hoc vnum ex inſperato gaudium affulgeret. Non contemnendi vero ſolatij, imo vero optatiſſimi tot tribulationũ fructus loco habẽdum; quod quemadmodum pleræque Italiæ partes celebri aliquo beatæ Virginis templo nobilitantur: vt pontificia ditio Lauretano, Tuſcia Lucẽſi, Liguria maritima Sarnenſi, Inſubria Varralenſi: Ita Subalpina Regio hác ſacram Imaginem ijs miraculis illuſtratam, quæ omne exemplum, & fidem ipſam excedant, ſit conſequuta. Quo ipſo gemino, velut præſidio Sabaudorum Principum familia, reſq; Subalpina firmata eſt, gemina videlicet, & vtraque inſigni imagine ditata, quarum in altera Saluatoris mundi iam olim in tumulo decumbentis, myrrha, aloë, & ipſo ſanguine expreſſa figura (in Sindone nimirum à Ioſepho ab Arimathia comparata,) in altera vero Auguſtiſſimæ Virginis tot miraculis coruſcantis, emicat ſpecies. Ne ſcilicet qua ad diuinũ numen placandum, quaue ad quodlibet munus impetrandum inuitarentur, vel Mediatoris, vel Mediatricis Imago deeſſet: 1.Tim.2 reuera etenim, vt ait Apoſtolus *Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus.* Sed cum idem homo ſit & Deus, aduocatus ad Patrem idemque iudex (neque enim Pater iudicat quemquam, ſed iudicium omne dedit filio) conſonum certè fuit & bonitati diuinæ, & humanæ infirmitati, vt ad hunc ipſum Mediatrix

aliqua daretur. Hinc ſanctiſſimus pater Bernardus: *Ad patrem verebaris accedere, ſolo auditu territus ad folia refugiebas, Ieſum dedit tibi mediatorem: Quid non apud talem Patrem talis Filius obtineat? exaudietur vtique pro reuerentia ſua; Pater enim diligit Filium. An vero trepidas, & ad ipſum? Frater tuus eſt, & caro tua, tentatus per omnia abſque peccato, vt miſericors fieret, hunc tibi fratrem Maria dedit: ſed forſitan, & in ipſo maieſtatem vereare diuinam, quod licet factus ſit homo manſerit tamen Deus; Aduocatūm vis habere, & ad ipſum? ad Mariam recurre: Pura ſiquidem humanitas in Maria, non modo pura ab omni cōtaminatione culpæ, ſed & pura ſingularitate naturæ: nec dubius dixerim, exaudietur & ipſa pro reuerentia ſua, exaudiet vtiquè Matrem Filius, & exaudiet Pater. Filioli hæc peccatorum ſcala, hæc mea maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei meæ: quid enim? poteſtne Filius, aut repellere, aut ſuſtinere repulſam? non adire, aut non adiri Filius poteſt?* Hæc pater Bernardus, cuius verbis edocti, & exemplo incitati, ac munificentia inſuper ipſius Beatiſſimæ Virginis apud hāc ſacrā Imaginem inuitati, ſit nobis hæc maxima fiducia, hæc tota ratio ſpei noſtræ: huius Virginis Beatiſſimæ ſcilicet, & benignitas in miſerendo, & efficacia in impetrando, quæ vtraque bono noſtro experiri nobis liceat, nunc ac in hora mortis noſtræ dicamus iugiter, quod ad eam idem mellifluus Doctor dicebat.

Per te acceſſum habemus ad Filium, ô Benedicta inuentrix gratiæ, genitrix vitæ, mater ſalutis; vt per te nos recipiat qui per te datus eſt nobis: excuſet apud ipſum integritas tua culpam noſtræ corruptionis, & humilitas Deo grata, noſtræ veniam impetret vanitati: copioſa charitas tua noſtrorum auferat multitudinem peccatorum, & fœcunditas glorioſa, fœcunditatem nobis conferat meritorum: Domina no-

Digitized by Google

ſtra, Mediatrix noſtra, Aduocata noſtra, tuo nos filio reconcilia, tuo filio nos commenda, tuo nos filio repræſenta. Fac ô Benedicta per gratiam quam inueniſti, per prærogatiuam quam meruiſti, per miſericordiam quam peperiſti, vt qui te mediante fieri dignatus eſt particeps infirmitatis, & miſeriæ noſtræ, te quoque intercedente participes nos faciat gloriæ, & beatitudinis ſuæ, Ieſus Chriſtus filius tuus Dominus noſter, qui eſt ſuper omnia Deus Benedictus in ſæcula. AMEN. *Cum quo ſis, & tu in æternum benedicta. O Clemens, O pia, ô dulcis Maria.*

.FINIS.

MIRACVLA ALIA SIVE GRATIÆ de quibus, etſi minimè dubitemus cum præter cætera, quæ multa adſolet veritas prabere veſtigia ſui, non ipſarum modo qui eas receperunt aſſeueratione, aut illorum comitum teſtimonio ſint comprobata; ſed plerumq; etiam ſuorum Parochorum, aut Medicorum litteris firmata: tamen quia de illorum veritate per eam tam ſeueram diſquiſitionem, quæ in eis referendis in proceſsus habebatur, illorum veritas minimè eſt comprobata, ea hic extra ipſam Hiſtoriam ſepoſuimus, vt intelligatur liberum cuiq; eſſe quam voluerint illis accommodare fidem, ſimulque eorum memoriæ, quantum res ipſa patitur, conſulatur.

CÆCIS LVMEN, VEL ETIAM ipſi oculi redduntur.

LVCIÆ Iacomelli Bordini, è Nicia Palearũ filiæ, lapidis ictu oculũ eruerat puer, ſed voto ſacri columinis ſalutandi vix ſuſcepto, & infirmæ oculus, & oculo ſua ſtatim lux reſtituta.

Flaminius Marci Mediolanenſis Piſis habitans longa tabe prope confectus, & altero oculo ac omnibus membris captus erat, is cum vouiſſet ſe ad ſacram Pilam inde peregrinaturum, ſi alterius oculi omnino amiſſam lucem & cæteram ſanitatem recipiſſet, ſtatim & lucem recepit & ex omni aduerſa valetudine conualuit.

Antonius Ruatalonga ex Caballerio maiori, dum in cætero militum agmine duas libras pulueris tormentarij ſecum habens incautius incedit: puluere igne correpto, manus faciemque ambuſtus, per quindecim dies cœcus iacuit, non in præſens ſolum lumine orbatus, ſed ſpe videndi in futurum deſtitutus: id verò ægrè ferens ad Beatam Virginem conuerſus promittit, ſe hanc eius Imaginem religioſe inuiſurum, quam tot miracula illuſtrabant, ſi cuius lucis medici ſpem denegabant, eum, compotem faceret. Emiſſo voto lucem recepit, & promiſſa peregrinatione defungi feſtinauit.

Benedicta Zaccarella ex valle Cugliani per ſex menſes nihil omnino viderat, vbi ipſa & mater huius ſacræ Imaginis inuiſendæ votum emiſerunt, lucem ſenſim recepit, cum eademque matre probè perſpiciens peregrinationem inſtituit.

Angela Ludouica nobilis Ticinenſis lapſa per gradus, impacta imo ita eſt ſolo vt capite grauiter offenſo, oculi ex ea reſilirent, & maiori multo anni parte ſui compos non eſſet, aliaque grauia accidentia pateretur: omnis humani remedij ſpe inciſa, cum in ſe rediiſſet aliquando, ſe huic ſacræ Imagini deuouit, nihilq; talis incommodi vltra paſſa, locum adiens, quas maximas potuit gratias egit.

Digitized by Google

Ioanna Abra nobilis Neapolitana, cum fiſtula prope oculum ſuborta illius lumine in totum ferè orbata eſſet, quia ex capite etiam iam erumpebat; vbi huic Imagini ſe deuouit, confeſtim illum priſtino ſtatui ſentiit reſtitutum, ob quod beneficium Ludouicum Cambam in ſuam vicem gratias actum miſit.

Petrus Rex ex oppido Breglio in Liguria, cum dextro oculo non modo luſcioſus, ſed propemodum cæcus eſſet, peregrinationemque ad ſacrum columen ſuſcepiſſet, in terram mente alienatus corruit; vbi ſeſe erexit, & clarè omnino, & nulla cum deformitate eodem oculo perpetuo eſt vſus. Quin vero intra paucos menſes quatuor cæci, Itali duo, Gallus vnus, vnuſque Allobrox, ob receptam lucem quę vouerant dona, huc detulerunt, quorum vnus iam per quinquennium in cæcitate contabuerat, cum dono ei datũ fuit huius ſacræ Imaginis exemplar, antè quod ad genua cócidens votum nuncupauit, ſi viſum recepiſſet eam ipſam inuiſurum. In quiete, viſa illi beata Virgo dicere, num vellet ſecum huc venire, lubenti animo id ſe facturum reſpondente, iter, vt illi videbatur ſimul ingreſſi ad magno impetu præter labentem amnem deueniens, ſubſtitit dubius an tranſiret, tum beata Virgo porrecta manu illum traiecit, manè expergefactus homo, & oculos, & viſum ſibi reſtitutum deprehendẽs, non fuiſſe eam ſomni vanam ſpeciem, ſuo bono ſummoq; cum gaudio intellexit.

Digitized by Google

DEBILES MEMBRORVM vſu potiuntur.

IOanna Galli ex oppido Riuetto propè Gratianopolim vtramq; tibiã dextramq; manũ tam male affectas habebat, vt nec illis inniti, nec hanc in pugnum cogere poſſet. In facie præterea ex diutino morbo pellis ſubſidens turpem admodum effecerat velut ſinum; his incommodis vt eximeretur ad beatam Virginis Vicenſis Eccleſiã iter inſtituit, Martina Gratianopolitana comite, vbi propior ſacræ Pilæ facta eſt, protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantę, ita vt equo deſiliens pedes ire perexerit; ſua vis etiam reddita manui, quam diſtringere cœpit; obductus denique deformis ille in facie ſinus, ita vt ab Superiore Monachorum Apoſtolico Nuncio, qui tũ forte apud eos hoſpitabatur, exhibita, nullum veſtigium priſtinorum incommodorum deprehendi potuerit in ea.

Claudius Fulco ſanctæ Magaritæ Dominus ob neruorum contractionem, tum ex ictu bombardæ in eo accepto, tum ex tortura quam in carcere tolerarat, dextro brachio captus, dum in ſacello eleuaretur hoſtia, eius vſum ſibi reddi perſenſit.

Dominico Burlonio è Caſtromonte ditionis Montis-Ferratenſis, ex caſu ab equo manus ita confracta erat, vt nec ea vti, nec mouere poſſet; voto emiſſo dum ad ſacrã Pilam iter haberet, mouere digitos cœpit, vbi in Sacellum intrauit ſanguinem è brachio, vbi manui cohæret ſibi exhauriri videre viſus, manum vt libebat circumagere cœpit, eaque deinde incolumi eſt vſus, quam adueniens paulò ante, Confeſſori aridam &

dam &

dam & obſtupeſcentem oſtenderat.

Mulier etiam quædã ex Leuanto Liguriæ oppido, cum voti cauſa ſacram ædem inuiſiſſet, vti ſcilicet brachium aridum recipere mereretur, quod ei tum nullo quidem vſui, multo vero & incõmodo & oneri erat, poſt triduum dum oraret aliquoties exanimata humi procubuit, tandem ſurgens, brachio ſanitati reſtituto in poſterum eſt vſa.

SVRDI AVDIVNT, muti loquuntur.

CATHARINÆ filiæ Gigij Zonar tumque viduæ in agro Cameracenſi filia erat, quæ totos tredecim annos, tot namq; nata hæc erat, muta ſurdaque permanſerat; cum votum huc deducendi filiam nuncupaſſet mater, intra paucos dies eam audientem, ac loquentem recepit, idque quod vouerat cum omni cura eſt executa.

Maria Zamparola Veronenſis in ſuburbio hoſpitalis S. Pauli habitans, ab aduerſa valetudine iam poſt tertium annum ſurda ac muta effecta erat; quam cum Catharina vxor Ioannis Bertulæ item Veronenſis ad ſacram Imaginẽ præcipiti iam die adducere vouiſſet, ſilentio noctis, ſignum quod campano ære ab religioſis ad vigilias ſurgentibus datur, Maria audiuit, luce prima ad ſe ingredientem Catharinam allocuta, cum eadem gratias Virgini Beatiſſimæ exolutura huc contendit.

Hadrianæ Cribellæ Taurini incolæ filius erat, qui dum iam quadrinus eſſet, loquelam amiſerat, voto

Digitized by Google

emiſſo inuiſendi ſacram Pilam, eumque huc deducendi, ægritudine corripitur puer; in qua cum loqui cœpiſſet illum huc deduxit promptè loquentem.

Mutus etiam qui ex agro Cremonenſi huc venerat, dum rediret, & ab domo ſua haud procul abeſſet (diſtabat vero Cremona, circiter tria millia paſſuum) loquelam recepit; quæ res quod non mediocrem motionem in his locis feciſſet, tabulis conſignata, ac teſtimoniis cæteriſque ad rem facientibus communita, huc tranſmiſſa fuit.

MORTVIS SIVE MOribundis vita ſaluſue conceditur.

MVlier quædam Vercellenſis in agmine diſciplinatorum S. Bernardini XVI. Kalēd. Octob. huc venit, nec dum menſtruum filium in vlnis gerens, eius rei incuſata, id ſe meritò facere reſpondit, quod illum quidem mortuum peperiſſet; quæ res cū toti familiæ magno dolori fuerat tum eam ita perculit, vt ea fiducia quam dolor ipſe pariebat, ad beatam Virginem conuerſa votum vouerit, ſi reuiuiſceret infantulus ſe illum huc ſuis vlnis delaturam: Cuius vtiq; damnata voti erat; namque infantulus cum prꝗterea per horam, vt antea mortuus iacuiſſet, tamē vagire cœpit, & ita reuiuiſcere, vt ipſius itineris incommoda tolerarit incolumis; Cui ſtatim mater ſe commiſerat, quas poterat gratias optimis meritis beatæ Virginis relatura.

Margarita vxor Gaſparis de Andreis ex Feſtiona, adeo ad extremum ſpei venerat, vt eam pro mortua

vir ac familia complorarent, eorumque gemitibus, ac querelis permotus Religioſus quidam, (cui pręter domum forte iter erat) moribundam adiit, monens, vt beatæ Virgini Vicenſi ſe commendaret; annuens mulier illo præeunte verba votum concepit, eoq; ipſo momento temporis tantam humorum copiam ore reddidit, vt poſt paucas horas febri liberaretur.

Antonius Aproſius Albintimelienſis Ludimagiſter Iauuæ habitans, cum velut ex reſiduo ægritudinis quatuor menſium, apoſtemate laboraret adeò maligno, vt ab medicis, ad vanum & irritum eorum curâ redactâ, iam eſſet deſtitutus, vouit ad hanc beatæ Virginis Imaginem peregrinaturum ſi cōualuiſſet: voto nuncupato præcipiti iam die, inſequenti nocte, nullo ſenſu doloris rupto apoſtemate, omni repentè morbo liberatur.

Alexander Cauda ciuis Aſtenſis per totos triginta dies febri vexatus, per alios viginti cordis deliquia expertus, ac aliis viginti quinque fluxu ventris afflictatus, vouit ad hunc locum ſe cōceſſurum, ſi finem tandem acciperét, quos velut diutinos morbos ægr[redacted]corp[redacted] ſeſe gignebat: dum cōfeſſione peccata expiaret leuari morbo ſe ſenſit, magis etiam vbi Viaticum ſumpſit, cum non proindè ſacram vnctionem defferri vellet, adeò ad extremum ſpei venerat æger, ſtatim ac ea munitus fuit, verſa morbi facies, breuique incolumis, cor argenteum ad ſacram Pilam ipſemet detulit.

Nobilis etiam quidam in Allobrogibus lecto decumbens, Medicorum Catholicorum copia cùm non eſſet, hæreticorum operam nullatenus admittens, iam vbi ad extremum deuenerat, cum beata Virgine Vicenſi implorata, recepta actutum ſanitate, & ſuæ exi-

Digitized by Google

miæ fidei, & propenſæ in ſacram Pilam voluntatis copioſum retulit fructum.

CLAVDI VEL TIBIIS male affecti ſoſpitatem recipiunt.

IOannes Gerſius Scotienſis filium, cui obnatum ſupra genu apoſtema ne ſine ferculis progredi poſſet effecerat, vbi beatæ Virgini Vicenſi commendauit, liberum cum intra triduum recepit.

Claudus etiam quidam dum huc veniret repentè conualuit, & Carmagnolæ fulcra dimiſit.

Ioannes Vercellius Sacerdos Voghenienſis, Sacellum campeſtre celebraturus petens, dum foſſam duodecim palmos altam ſaltu traiicit, alterâ tibiarum fractâ, pars oſſis diſrupta carne ac pelle, duplex tibiarum operimentum lineum ſcilicet, ac laneum perforauit: cum nec fragmenta in ſuas ſedes reponi, nec commiſſa oſſa rurſus coaleſcere poſſent, eóque magis vitæ ſpes in anguſto eſſet, neruorum euulſione, quam ſpaſmum græca voce dicimus, imminente; votum vouit mater, ſe filium ad ſacrum faciendum ante ſacram Pilam adducturam, delaturamque tabellam, qua res tota teſtata fieret: quod vbi filius ratũ habuit; ſtatim conualeſcere cœpit, ac intra paucos dies abiecto fulcro, quo ſub initium debilitati timens vſus fuerat, pedes cum matre votum exoluturus aduenit.

Idelphonſus Caualis ex Cumianæ Dominis, altius penetrata fiſtula, ruptaque ſuppuratio, adeò alteram defformarat tibiam, vt pro inſanabili à Medicis habe-

retur. Alia igitur remedia quærenda eſſe cernens religioſa coniux,vouit beatæ Virgini ſe maritum ad eius Pilam adducturam, ſi tibiam ſanā reciperet:orto iam die,cum magis officij cauſa,quàm quod vlla ſpes ſupereſſet,illum inuiſerent Medici,tibiā præter omnem vim naturæ ſanitati ferè ex integro reſtitutam deprehendunt. Nec diu diſtulit virum huc deducere pia coniux, vt voto exolueretur quod pro eo ſuſceperat.

Secundinæ Piſcatrici Aſtenſi è ſcala decidenti tibia ita attrita fuerat,vt cum in curatione plurima oſſium fragmenta fuiſſent amolienda, neruis contractis ac conuulſis,nulla iam ſpes vitæ ſupereſſet. Humanis remediis deſtitutæ ea mens obiicitur, vt beatæ Virginis Vicenſis opē imploret,addito voto ſacræ huius Imaginis inuiſendæ : eo vixdum nuncupato intermortua iacuit, quo tempore ſedata neruorum conuulſio,redditaq; dilaceratæ tibiæ tāta vis;vt arreptis ferculis cum Marguarita Emanuelis,quæ comitem ei ſe dederat, itineri ſe commiſerit,ingenti ſane fide,ſed exitu etiam fœliciori. Namque vbi ad ſacram Pilam deuenit,ad priſtinam ſanitatem rediit tibia, adeo vt ſine ferculis, aut alio quopiam adminiculo ad ſuos,pedes redierit.

SAVCII EX LETHALI vulnere conualeſcunt.

IOannes Anthonius Burbonus ex Romano ditionis Mediolanenſis oppido,dum ſclopum præ manibus habebat ore ad ſe conuerſo, eſcaque foculo imminente, illo, caſu exploſo,tres pilas oncialis ponderis,quas in eo abdiderat aduerſo cor-

pore excepit: cum itaque dextro brachio, ac tribus coſtis trajectis grauiter ſaucius, in diſcrimine vltimo vitę eſſet; vbi votum ſacri columinis inuiſendi emiſit, præter omnem vim naturæ conualuit: votique ergo huc veniens, ſclopum ipſum è pariete ſuſpendit.

Ioannes Oſſius à S^to^. Dalmatio in prouincia Narbonenſi, ab hæreticis vulneribus confoſſus, viginti quatuor horis iacuit exanimis; ſeſe tandem vtcumque recipiens vouit ad ſacrā Pilam peregrinationem, quâ, non ſine miraculo paulò poſt curatus, ſumma religione eſt perfunctus.

Margarita Vercellenſis dum generoſum equū pro fræno haberet, ille repentino furore actus in eam inſiliens tam malè pedibus protriuit, vt ſopitam vulnere, ac nihil ſentientem domum intulerint vicini, victuram exigua, ac prope nulla ſpes erat. Compos iam ſui facta vouit ſe hanc ſacram Pilam inuiſuram ſi vita ſibi conceſſa eſſet, nec vita modo, ſed incolumitate breui recepta votum adimpleuit.

Neapolitanus quidam in Sabaudia cum in præfectum cohortis hoſtium incidiſſet, tribus vulneribus confoſſus, deturbatus equo, ac pro mortuo, equo abducto derelictus; cum reliquū agmen appropinquare ſenſiſſet, è media via in foſſam quæ præter eam decurrebat, quamquam homini tegendo nequaquam opportuna ſeſe proripuit; ibi tum ob accepta vulnera, tum ob immimentem peſtem, vndiq; abſciſſa ſpe vitæ beatam Virginem precatus, ſi vita daretur hanc ſacram Imaginem adire promittit, ijs duntaxat vitam ſuſtentaturus, quæ eleemoſynam poſtulanti darétur. Miraculi igitur loco primum habuit, quod cum præter eum tot homines iter haberent, illorum tamen

quorum patebat effugerit aſpectus; Tum quod curatus præter ſpem, haud multò poſt receperit ſanitatem. Quo vitæ diſcrimine vbi eſt perfunctus, nulla illi voti adimplédi cura fuit: ſed magno ei ea cunctatio ſtetit, febri continua correptus, diu multumque afflictatus, nulla alia ratione quã iterato voto liberatur. Verum ſimul febris calor eſt remiſſus, ſimul ipſe ab omni religione remiſit animum. Iterum igitur longè grauiori morbo implicatur, quo eo ipſo voto emittendo cum ſe liberaſſet, eius tamen adimplendi deſiderium ab eadem negligétia differédo, diu elanguit. Tertiò, quod ne illi impune eſſet in lethalem decidit morbum; Is demum timor vecordem hominem perculit & ad ſanitatem flexit: namque dum illa vna ad ſalutem ſeſe offerret via, quam fœlici exitu tam ſæpe tentaſſet; eam vero ne rurſus tentaret tam malè relatæ gratiæ conſciétia prohiberet; quam vt feram vltimaque tandem neceſſitate expreſſam, aſpernandam cenſeret: Ingrato tandem pectore obnatæ verecundiæ beatæ Virginis numquã deſperanda clementia occurrit. In quiete illi obuerſari viſa in ea Imagine, quam ſacra Pila exhibet, votis argenteis, aureiſque collucens; eum ad prẹſtanda quæ toties promiſerat eſt adhortata; acquieſcens illi conſtanti deliberatione, & votum iterauit, & ſuper omnem naturę modum ſalutem conſequutus, gratias exoluturus quantocius itineri ſe commiſit: ac ſimul voto cuius quartùm damnatus, fuerat ſe exoluit, & ingrati animi crimine ex emit.

Digitized by Google

HERNIÆ ET CALCVLI doloribus cruciati, ijs eximuntur.

EX oppido Cauello quidam dum feria quinta hebdomadæ ſanctæ ſepulchrum ſanctiſſimo Sacramento reponẽdo pararet, ex alto decidens ita eſt labefactatus; vt ruptis tunicis, quæ ab inferioribus partibus inteſtina deducunt; in ſcrotum interiora deuoluerentur. Cum in promptu non haberentur Chirurgi, biduo ieiunus, ac perpetuos eiulatus emittens decubuit: cum illi adueniſſent, Medicorum arti nihil ſanè confiſus, eorum curæ ſe permittere renuit, nec ſpem ſalutis alibi quàm in beatæ Virginis ope repoſuit, eius Imaginem ſi conualuiſſet inuiſere promittens: illis è cubiculo egreſſis leui ſopore corripitur; poſt mediæ horæ ſpatium experrectus, ita ſe ſanum reperit, ac ſi nullum tale aliquãdo incommodum paſſus eſſet.

Nobilis quidam Mediolanenſis adeò Herniæ per tredecim annos fuerat doloribus excruciatus, vt iam nec animus ad tolerantiam, nec ad vitam ſpes ſupereſſet, ſuſcepto voto huius Imaginis viſendæ, ſub lucem inſequentis diei, ita ſe ſanum reperit, vt cõfeſtim iter ſit ingreſſus.

Apud Allobroges quidam non infimæ ſortis cum filium haberet Hernia laborantem, vt eum ſanum reciperet ad ſacram Pilam illũ ſuis humeris deportauit. Annuit beata Virgo iuſto pij hominis voto, puerumque vixdum, ante ſacram Imaginis Pilam conſtitutum ſuæ ſanitati reſtituit.

Ludouicus Zucchetus Mediolanẽſis Camerani habitans

bitans dum majus quam pro viribus attollit pondus, diſruptis tunicis inteſtina in ſcrotum tanto cum dolore dilabuntur, vt cor ipſum cum iis è ſua ſede eò deferri videretur: inter eos cruciatus beatæ Virginis Vicenſis opem implorans, tam preſentem eam ſenſit, vt trium horarum ſpatio ſua ſponte in naturalem ſedem redierint inteſtina, coaluerint tunicæ, omnis dolor abſceſſerit, & promiſſam peregrinationem ad ſacram Pilam ſuſceperit.

Franciſcus de Monte nobilis Mediolanenſis dum per diſpoſitos equos Bononiam peteret, tam enormiter ſe abrumpi ſentiit, vt ex equo in terram procubuerit: itamq; per tredecim annos nulla non expertus remedia, tam ingentes dolores tolerabat, vt propius faſtidium quàm deſiderium vitæ eſſet; quádo ad eum perlata fama ſacræ Pilæ, vt illi ſe deuoueret vehementer incitauit, tantamq; pietatem erga eandem iniecit, vt in cæteris beatæ Virginis Imaginibus ea ſibi repræſentari videretur, eamq; in eis recitatione Salutationis Angelicæ piè coleret: tandem locum ipſum adiiſſe, ac inde incolumem receſſiſſe viſus in quiete, mane ligaturam obducere oblitus (ſine qua antea nec aſſurgere poterat) ad negotia egreditur: tum vero ſimul ligaturæ recordatus, ſimul dolore vacuum ſe ſentiens, manum admirabundus loco admouit, in quo nullo iam fracturæ veſtigio deprehenſo ſomni etiam ſpecie animo eius occurente, probè intellexit cuinam tantum beneficium acceptum ferret; quodque feciſſe in quiete viſus fuerat, id deuotus præſtitit.

Scipio Gouis nobilis Allobrox herniæ dolores perpetuò tolerabat, quos emplaſtris ac ceratis lenire conſueuerat, dum in Sacello die ſolemni Corporis

Saluatoris noſtri, poſt Completorium ipſum Sacramentum reponeretur, ſudore primò ſe ſentit perfundi, tum tremore corripi, tandem inteſtina introrſum reſilite, ac in ſuam ſedem redire, obduci rupturam ſimulque fugari dolorem: ſutgens faſcias, ac medicamenta in teſtimonium acceptæ gratiæ è pariete ſuſpendit.

Apud Mediolanum etiam Mercator quidam calculo lotij meatus obſtruente, per viginti perpetuos dies vrinam non reddiderat: cum iam in Medicis nihil auxilij foret, voto nuncupato ſtatim calculum immodicę magnitudinis eieciat, ac conualuit: plures etiã alios eodem calculo laborantes, eodem ſuſcepto voto incolumnes euaſiſſe proditum eſt memoriæ.

PARALYSI HYDROPISI longaq; tabe confecti curantur.

ANtonius Baſilius Allobrox in Hydropiſi deploratus beatæ Virginis promittens ſe locum aditurum, ac Confeſſionis & Euchariſtię Sacramenta ſuſcepturum, eo ipſo morbi vim ita remitti ſenſit, vt præter Medicorũ opinionem haud ita poſt ſalutem fuerit conſequutus.

Tres item intra anni ſpatium ex diutina Paralyſi ſe conualuiſſe, huc aduenientes diſertè tradiderunt.

Franciſcus Mutius Ianuenſis, voto huc veniendi ſe adſtrinxerat, cuius adimplendi dum tempus profert octo menſium tabe eo adducitur, vt iam in arcto ſpes eſſet; Medicorum iam cura, non ſua tamen ſpe deſtitutus, ſuſceptum approbat votum, ac receptis ſtatim vi-

ribus,ſacram eius Imaginem inuiſere maturauit,quæ ſpei conceptæ compotem fecerat eum.

Ioannes Deſiderius ex Demonte, maligna febri in hecthicam commutata prope de vita deſperabat:monitus à Religioſo viro, vt ſe huic beatæ Virgini commendaret,ſumma admiratione liberum ſe ſentiit.

Bernardinus Alberti, prætorianus miles, multorum tabe menſium lecto non aſſurrexerat, & iam ad hecthicā ſpectabat febris, cum ea denuntiatione territus beatæ Virginis opem implorauit, quæ ita eum ſpei conceptæ compotem fecit,vt intra biduum ab ea liberatus ad ſacram Pilam peregrinationē ſuſceperit.

Ioannes Strati Roſſanenſis quinq; menſium ægritudine eò adductus erat, vt nec ſe mouere, nec quicquam cernere, nec diu vitā proferre vlla ratione poſſet; cum fortè beatæ Virginis Vicenſis fama ad aures eius accidiſſet;ſimul ac eidem ſe commendauit, ſimul & melius habere, & adſtantes alloqui & ſe loco mouere, & cætera denique munia conualeſcentis hominis cœpit obire; ac poſt triduum integra ſanitate recepta itineri ſe committens, etſi quam in partem tenderet haud ſatis ſciret Ianuam deuenit,inde re explorata ad ſacram Pilam iter flectens omni ſe religione exoluit.

EPILEPTICI SCIATICAQ; laborantes, ijs morbis liberantur.

SImeona Ioanetta Sabauda Friburgi habitās in Heluetiis,cū comitiali morbo aſſiduè vexaretur,vbi votum ſacræ Pilæ inuiſendæ emiſit,nullum præterea ex diutina ægritudine incom-

Digitized by Google

modum perpeſſa, gratias habitura, viro comitata huc commigrauit.

Aurelius Rubbeus ex oppido Lango Cauſidicus multoties in terram alienatus à ſenſibus cum decidiſſet, opinionem epilepſiæ medicis fecerat; qua denunciatione perterritus, ad ſacram Pilam deuotè contendit, vbi à beata Virgine ſupplex petiit, vt ſiquidem id ex Dei gloria & ſua ſalute eſſet, tantam ab eo infirmitatem auerteret: piæ ſupplicationi beatam Virginem annuiſſe fidem facit, quod exinde nihil ſe huiuſmodi paſſum gratularetur.

Cremonenſis etiam quidam qui ſuper comitialis morbi incommoda, carcere etiam conſtringebatur, cum quandoque correptus morbo diu multumque afflictatus fuiſset, beatam Virginem Vicenſem, cuius Imaginem ante ſe habebat, opem enixè efflagitauit; quam paucis poſt diebus ſe aſsecutum intelligens, cū ſimul morbo & carcere fuiſset exemptus, gratias perſoluturus huc aduenit.

Franciſcus Marianus grauis armaturæ eques cum ſciatica laboraret, ſtatim ac inuiſendæ ſacræ Pilæ votum emiſit, ea ſe, ſentiit liberatum.

Ioannes Loranus ex Vallemonica, cui adeo ingentes dolores ſciatica faciebat, vt perſæpe in deſperationis periculum fuerit adductus; ſimul ac beatæ Virginis Vicenſis fama percitus, votum illius ſalutandæ emiſit, ipſius voti reus efficitur, à quo vt liberaretur, filium in ſuam vicem huc delegauit.

Treuiſienſis etiam quidam cum in agmine diſciplinatorum ſuburbij Taurinenſis ad Padum huc veniret, Eccleſiamque Auguſtinianorum Montiſ-regalenſium ingreſſus eſset, dum orationi incumberet, ite-

rum, ac tertiùm in terram decidit, nihil incommodi ex caſu paſsus; tum crus in quo ingentes cruciatus ob octo annorum ſciaticam, tolerabat, ita contrahi cœpit, vt ipſum humerum attingeret, mirarenturque cæteri, quî fieri poſset, quin in duas diſcerperetur partes, cum ille interim alienatus à ſenſibus alteri innixus pedi, & incuruato corpore miſericordiam inclamaret, ſe recipiens, ac erigens tandem abiectis fulcris, quorum adminiculo antea progrediebatur, iunctis manibus incedit; & tum cum cætero comitatu, tum alias ſæpè memor beneficij, locum deuotus inuiſit.

DIVERSIS ALIIS MORBIS laborantes incolumitatem percipiunt.

Piſanus quidam in Luſitania cum eſſet, ab nimia animi fiducia, domum quandam cepit incolendam, quæ ob rumores qui inibi exaudiebantur pro deſerta habebatur, idque adeò contemptim, vt fœminā quæ vulgato corpore quæſtum facere conſueſſet, ſecum introduceret. Sed intempeſtę noctis ſilentio, malis conſiliis parem euentum adeptus, ſubitò morbo corripitur. Per multas horas cum velut mortuus iacuiſſet, vbi primum vitæ ſignum dedit, ſimul inceſſu furiali lymphatus & attonitus, tota diſcurrere domo cœpit; & quanquam poſtridie, ex furore reſipuiſſet, eodem tamen velut contracto habitu perſæpe agitabatur tanto cum impetu, vt periculum eſſet, ni vinciretur, ne ſe vel è naui, vel eminentiori quoque loco præcipitem daret. Hic cum ad portum Herculis triremibus vectus appuliſſet, & que-

Digitized by Google

de ſacra Pila tum vulgabantur famam accepiſset; pedibus ad eam iter intendit, tanto cum pietatis feruore, vt Sauonam deueniens reliquum itineris, ſi per comites licuiſset, nudus eſset confecturus. Hic vero cum peccatis expiatus & ſacra Communione refectus ſuos nouenos orbes obiiſset; tantam animi voluptatem percepit, vt eam nó fallaci ſané coniectura in acceptæ gratię teſtimonium habuerit: inde namq; abſcedens ſimul & religione & maleficio (quod res ipſa probauit) fuit exolutus.

Aurelius Carretus ex Alice Aquenſis diœceſis, cum carcere detineretur compeditus, ac Beatæ Virgini ſe commendaſset, carceris cuſtos illius miſertus funes pro compedibus pedibus iniecit, quos cum ſoluiſset, ac per eos è feneſtra ſe dimitteret, dum longè abeſset à terra ſentiit funē relaxari.: tum de ſe actum credens, beatæ Virginis rurſum implorat opem; quo ipſo cernit funem coaleſcere, ac connecti; ad cuius caput cum deueniſſet, & adhuc longè à terra abeſſet in aquam dilabitur; neque ex caſu aliquid incommodi paſſus, gratias ſuæ liberatrici perſoluturus huc aduolauit.

Alexina vxor Ioannis Nati ex Pamparato Aſtenſis diœceſis, cum ſeptem perpetuos annos in iurgiis, ac diſſidiis exegiſſet, ab eoq; tandem diuortium feciſſet, ſeu zelo, ſeu melancholia, ſeu alio quopiam morbo tam malè affecta erat, vt energumena, vel phrenetica vulgò credita, iam poſt biennium arceretur à Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis: à ſuis tandem, vt huc veniret perſuaſa, peccatis Confeſſione expiatis receptoque ſenſu ad ſuos rediit, maritumq; conuenta, ſumma deinde pace cum eo fuit: quocum tanti beneficij gratias habitura locū deinde religioſè coluit.

Andræas Malonius ex Marſalis, cum vehementiſſimo auriũ dolore premeretur, omnia remedia fruſtra expertus, promiſit beatæ Virginis ſe locum inuiſurum vbi eo liberaretur: ſerum erat cum votum emiſit, ac in ipſius morbi ſumma vi, ſub medium noctis à ſomno excitatus ſanum ſe deprehendit; ſub lucem è ſtratò ſurgens ad exoluendum votum pedibus huc contendit.

Annibal Leſona nobilis Bugellenſis Nouarienſiũ tum prætor, gutta arthetica prope confectus, pro ſalute à Medicis deplorata ad beatam Virginem Vicenſem confugit: haud incaſſum miſſæ preces, vix emiſſo voto ſopore corripitur, quo ſimul eſt ſolutus, ſimul voto fuerit adſtrictus, cœptæ tũ repente redd vires tam fœlici progreſſu, vt proffligato morbo prima luce inſequentis diei liber omninò apparuerit.

Ioannes Baptiſta de Vallemonica propè Brixiam, fluxu ſanguinis per octò annos afflictatus ſacræ Pilæ audita fama eò iter intendit, repugnantibus medicis, qui nec domo quidem eum excedere paterentur: ipſo primo die non mediocriter morbo leuatus, ipſoque proceſſu itineris omnino liberatus, pedes vt ſe voto exolueret reliquam viam confecit.

Alius etiam quidam cum gutturis dolore (cuius tamen minimè percipi poterat cauſa) vehementer afflictaretur, ſacrum Sacellum inuiſens, Confeſſario hoc incommodum ſignificauit; is illi ſpem ſalutis fecit, ſi quoddam ex peccatis quod confeſſus fuerat derelinquere firmiter proponeret. Quod dum non obedienter modo ſed enixè faceret, antè ſacrã Imaginem ſenſit ſe ad votum incitari: ſecedens igitur inſuetæ magnitudinis lumbricum ore reddidit, ſimulque omnis

dolor abſceſſit.

Mediolanenſis etiam qui abſceſſu in gutture quàm maximè vrgebatur, ita vt reſpirandi facultas non daretur, duabus horis poſtquam huic Imagini ſe deuouit, reſoluto apoſtemate conualuit.

Prudentia Nicolini Curti filia, quo tempore peſtilentia Taurini graſſabatur, [illegible] ad ea tuguria, quæ extra vrbem peſte affectis exædificantur, ne miniſteria inuicem, ac contagio ipſa vulget morbum, iam deducta, & eo abſceſſu quem coticulam dicũt vehementer excruciata, exigua in ſpe trahebat animam. Pater qui illam tenerè diligebat ab hominibus ad beatam Virginem vota vertit, promittens ſi filia eo morbo liberaretur, hanc ſacram Imaginem inuiſurum: vix emiſſo voto reſoluto tumore illo in inſtanti conualuit filia.

Sed ſuperuacaneum erit eos, qui ex eadem peſtilentia conualuerint nomina hîc recenſere, cum eiuſdem Virginis Beatiſſimæ precibus, acceptũ feratur, quod quæ loca iam peſtilentia affecta erant, longè minori cum incommodo ea ſint perfuncta: & tum aliæ tum Montiſ-Regalenſis vrbs agerq; hac clade fuerit immunis: cum tamen iidem illi, qui tantum malũ in cæteram regionem inuexerant, hunc ſacrum locum (vt inde ob hominum perpetuam fræquentiam in reliquam regionem quantocius vulgaretur) in primis fœdare ſint conati. Namque cum ad hoc ipſum peſtiferam illam miſturã in vas aquæ luſtralis conieciſſent, ea nec vaſi inhærere, nec aquæ admiſceri quantumcumque adniterentur, vlla ratione potuit, ſed magno cum miraculo in ſe collecta ſupernatando, ac velut ſceleris iudicem ſe futuram ni amoueretur minitando, ab ſceleſto conatu deſiſtere coegit.

A DÆ-

Digitized by Google

A DÆMONE VEXATI liberantur.

CAſtellius Dalmaſeria Taurinenſis, cum iam poſt quintum annum ab inſidente Dæmone vexaretur, vtque ab eo liberaretur iam tertiò ſacram Pilam inuiſiſſet; inſtitit & quartùm eò proficiſci: quò cum die ſalutiferæ Annuntiationi ſacro deueniſſet, ab ea poſtridie dæmon ſigno dato fugatur.

Adoleſcentula Mediolanenſis à dæmone vexata huc aducta, cum diu multumque reluctata fuiſſet; in Sacellum tandẽ introducta vôlumen capillorum ore reddidit. Dum exorciſmis premeretur; audita voxè ſublimi dicens. Magdalena (id enim patienti nomen erat) ad quam cùm in terram ipſa cecidiſſet, paulò poſt omnino libera ſurrexit.

Alia etiam vbi ante ſacram Imaginem eſt adducta, cultrum ore euomuit, quod etiãnum ſeruatur: quanquam, vt mea fert ſententia, hæc aliaque huiuſmodi ludibrium oculorum ſint cenſenda, cum vero ſimilius ſit hæc tam ſolida corpora aliunde ab dæmone defferri, ac in modũ rei ore redditæ ſenſibus ſubiici; quã aut in corpore ea coaleſcere, quæ non niſi maxima vi, ac multiplici concurſu naturalium cauſarũ efformari poſſunt: aut ex humano pectore abſque offenſa ipſa eadem educi per fauces, quæ tenuiſſimæ etiam ſpinæ tranſitu læduntur.

Quod ipſum cenſendum eſt de alia quæ ibidem ſulphuratum flagrantem naribus eiecit, cuius comes poſtero die liberata fuit, ſtatim ac nomen dæmonis,

Digitized by Google

à quo cruciabatur chartæ inſcriptũ deflagrauit: quod tamen fieri non potuit, antequam ipſa charta aqua benedicta fuerit aſperſa.

Suſanna Ioannis Baptiſtæ Touenzami ex Puteolis vxor, maleficiis ad mortem prope deducta, voto à patre pro ea ſuſcepto, intra duos dies priſtinam ſoſpitatem recepit.

Iſrael Ruellius ex Burgo Brixienſi in Heduis Taurini habitãs, ob veneficia cum vxore, nec conſuetudinem habere, nec habitare poterat, ſed eam in dies magis abominabatur. Quę res cum illi ingentis doloris maximique detrimenti cauſa eſſet, cæteraque remedia irrito conatu tentaſſet, beatæ Virgini Vicenſi ſe deuouens inſequẽti nocte omni eſt maleficio abſolutus.

Sed & alios ſeptem eodem anno ab inſidente dæmone liberatos fuiſſe ſcriptum reperimus, alioſque quotannis liberari vidimus.

IN MARI VEL IN FLVMINIBUS PROPE DEMERSI LIBERI EMERGŨT.

IOannes Andræas Coſta Albigaunenſis, naui cum vectoribus Matthæi Vitti qua vehebatur medio hauſta mari tempeſtate abſorpta, ipſe in vltimo diſcrimine conſtitutus beatam Virginem Vicenſem inuocauit. Tum illi fortè oblata tabula, cuius ope quatuor dies maris fluctibus ſupernatauit in mediis gurgitibus. Quo tempore beatam Virginem Vicenſem videre viſus, quæ poma, vuas, alioſq; fructus quibus ſuſtentaretur porrigebat. Tandem proiectus ad promontorium Iuſtorum vulgò dictum

ſcapulo hæſit: inde in nauim quæ præter illud ferebatur ſublatus, & in Liguriam deuectus, huc gratias perſoluturus conceſſit.

Matthæus Surrentonus è Sardinia ſoluens tam ſæua tempeſtate inuoluitur, vt iam merces in mare eſſet proiecturus; cum illi ea mens datur, vt beatæ Virgini ſeſe deuoueret, id vt fecit decidit aduerſus ventus, ſedata eſt tempeſtas, & fœlici nauigatione portũ tenuit.

Ambroſius Mediolanus Ianuenſis dum nauigio veheretur frumento onuſto bis eodem die in id diſcriminis eſt adductus, vt illud vi ventorum permittere ſit coactus. Is igitur ſtatus cum eſſet, vt nihil boni diuinaret animus, vbi beatæ Virgini Vicenſi ſe commendauit, ſedata ſenſim tempeſtate, ſumma omnium admiratione, ipſe maris periculo, ſuaq; peregrinatione religioſè perfunctus, voto liberatur.

Antonius Boianus Ligur, cũ onerariam per altum duceret è regione Seſtri, quinque horarum dira tempeſtate iactatus, nedum onera abiicere ſed de ſalute deſperare cum vectoribus cogebatur. Omnium tamen conſenſu voto huius Imaginis ſacræ inuiſendæ ſuſcepto, fœlici curſu aduerſis licet ventis portum tenuère; nec beneficij immemores promiſſam inſtituere peregrinationem eo maiori cum gaudio, quo prope metum res fuerat.

Auguſtinus Marchettus ex Veneris portu, duplicis voti reus ad ſacram Pilam peregrinationem inſtituit, duplici ſcilicet morte liberatus; quæ primò illi à ſæuiente tempeſtate, ac non multo poſt ab deſperata aduerſa valetudine imminebat.

Antonius Vgole ex Caſtromono Graffignane, cũ Hieroſolymam peteret, ac in quodã ſinu coacta tem-

peſtate fœda mors ob oculos eſſet, vouit ſe ſacram Pilam inuiſurum, de qua multa audierat vulgari miracula: illicò ſedata tempeſtas, vt damnatus voti, priori fœliciter perfunctus, nouã peregrinationem ad beatam Virginem Vicenſem ſuſciperet effecit.

Gerardus Deprada, in Allobrogis natus, Auenionis incola; cum naui Romam veheretur in D. Franciſcæ de Ruuere comitatu, cum Promontoriũ Ouillis prætereuectus eſſet, adeò atrox tempeſtas adorta eſt, vt ingenti fragore cœli, tonitribuſque, & fulguribus perſtringentibus aciem oculorum, grãdo quæ malorum medicorum magnitudinem æquaret, decideret. Iam de ſua ſalute omnes actum credebant, quãdo ipſemet Gerardus contenta voce beatam Virginẽ Vicenſem inuocauit. Tum illicò quieuit ventus, detumuerunt fluctus, miraque ſerenitas cum tranquillitate orta, vt fœlici nauigatione perfuncti, ad hanc ſacram Pilam gratias acturi in reditu concederent, effecit.

Ex plurimis etiam tabellis, ac multo magis ex triremium, ac nauium ſimulachris, quæ huc delatæ fuere ſatis apparet, quã multa nauigia voto huic beatæ Virgini nuncupato ex tempeſtatibus emerſerint. Cuius beneficium præterea nautæ quidam eſſe cenſebant, quod dũ paruo nauigio veherẽtur, minorẽ triremem Turcarum expugnaſſent: in cuius rei ſignificationem ſignum militare illorũ è pariete Eccleſiæ ſuſpenderũt.

Marchettus Gerardus de ſancto Secundo, Boſſolaſſi habitan, Borniam ingreſſus amnem (qui ob recens dilapſas pluuias præter ſolitum intumuerat) cum in ſummo periculo verſaretur, tum ipſe, tum duo muli quos poſt ſe trahebat, ab altero eorum qui euadere vtcumque tentabat, in altam voraginem deiicitur, è qua

cum nulla ſpes emergendi ſupereſſet aquis iam iam ſuffocato, beatæ Virgini Vicenſi nuncupato voto, ipſo momento temporis ab vnda in terram delatus, ſimul etiam iumenta in ſicco ſtare videt; ſtupens igitur nec ingratus, vt voto ſe exolueret ad ſacram Pilam iter contendit.

Antonius Fontana Gebennenſis diœceſis, Domini Mótis Majoris famulus, dum cum eodem ripam Padi obequitat, in profluentẽm dilabitur adeo alto loco, vt caſus ipſe equo & ſeſſori mortem facilè attuliſſet, ni ſerui vicem ſollicitus Dominus, vt primum eũ deorſum ferri viderat beatam Virginem Vicenſem inuocaſſet, cuius ope emerſum ſeruum, ac incolumem, herus huc mittit, vt voto, quod pro eo ſuſceperat exolueretur.

Iacobus Montonius Placentinus dum Ticino domum rediret, in profluentem Padi tum maximę nouis aquis intumeſcentem, eſt prolapſus; cum vortice contortus affligeretur, ac prope eſſet vt pręfocaretur, beata Virgine Vicenſe inuocata, cum ipſo equo momento temporis ad terram eſt delatus.

Petrus Franciſcus Valperga ex Ripariæ Dominis, dũ incerto vado Sturiam amnem, qui continuis imbribus inflatior, ac citatior ſolito ferebatur, trãſiret, per ſecundum flumen delatus, parum aberat quin gurgitibus abſorberetur, cũ animo eius beata Virgine Vicenſe occurrente, peregrinationem ad eam vouit, ac ſtatim ad alteram ripam tranſuerſo vortice cum equo impulſus, ex languida ſeruorum ope, euaſit aqua.

Digitized by Google

OPPRESSI AB HOSTIBVS, & carcere cõſtricti incolumes euadũt.

Balthazar Petra ſancta Caſſinarum Dominus dum, nepote & quatuor ſeruis comitatus animi gratia deambularet, ab duodecim hominibus, nec opinato inuaſus ſacræ Imagini ſe deuouit. Mirum dictu, cum duo ex ſeruis nepoſque mortui corruiſſent, ipſe in quem pilæ omnes è tormentis emicabant, euaſit incolumis, hoſtibus quidem rei miraculo attonitis, ſed tùm ipſo Balthazare, tú cæteris magis, cum octo pilæ veſtibus ac linea tunica perforata extimæ pelli hæſiſſe viderunt innoxias.

Nobilis etiam Mediolanenſis dum iter facit ab inimicis oppreſſus, qui in eum duodecim ſimul bombardas exploſerunt, beatæ Virginis fidum implorauit auxilium, à qua ita eſt protectus, vt veſtibus ipſaq; ſubucula omni ex parte perforata, nihil tamen oſtenſa fuerit ipſa extima pellis, ac ex eorum manibus euaſerit cum equo incolumis.

Hieronymus Montanus Romanus cum è Galliis in Italiam rediret, ab hæreticis captus in carcerẽ conijcitur. Id vero iniquiori animo ferebat, quod nulla via euadendi, vel ſe redimendi monſtrabatur. Quo ipſo ad beatam Virginem confugere incitatus, cum voto ſe adſtrinxiſſet inuiſendi hanc ſacrá Imaginem, poſt triduum in ea caſtra fortuito delatus Præfectus turmæ equitum Italus, quamquam ne eum quidem agnoſceret, vt liberaretur ſua ſponte perfecit.

Eodem etiam momento, quo Bernardus Cumulius Nouarienſis huc cõmigrandi voto ſe adſtrinxit, è car.

cere quo detinebatur morti adiudicatus, liber euaſit.

Tabellarius etiam quidam Sereniſſimi Ducis è prouincia Narbonenſi, ab hæreticis pro exploratore captus, & ad mortem damnatus, quam vbi craſtina illuxiſſet dies erat ſubiturus, beatæ Virgini Vicenſi ſe deuouit. Tum cuſtodem qui prope eum aſſidebat, cæteroſque captiuos tantus ſopor oppreſſit, vt & fœlici auſu vincula detraheret, & liberè fugiens ad ſacram Pilam quantum extendere iter potuit, è veſtigio contenderet. Quam eo impenſius coluit, quod ipſum cuſtodem in ſuam vicem ſuſpendio necatum fuiſſe (& erat is erroribus hæreticorum inprimis addictus) famà acceperat in via.

Alius item ab heriticis in vinculis habebatur, cuius animum ob rem familiarem omnem à liberis dilapidatam dolor abalienauerat; Ita tamé vt lucida admitteret interualla: per quæ cum ſemel ſe beatæ Virgini commendaſſet, ſimul & ſenſum recepit, & è carcere per ſummum miraculum euaſit; vtriuſq; igitur beneficij gratias habiturus locũ ipſum quamprimũ inuiſit.

Quidam carcere detenti, vel vltimi ſupplicij, vel triremiũ condemnationem propediem ſubituri, cum in votum ad ſacram Pilam primò, tum ad ædem Lauretanam proficiſcendi cóſenſiſſent, repentè nullo negotio, nulloq; vel perſentiente vel impediente, profugientes huc contenderunt. Sed hoc ipſum perſępe accidiſſe ſcimus, vt qui in extremo agone iã eſſent conſtituti, vel præter ſpem omnino conualuerint, vel certè vt ſe Sacramentis munire poſſent, neceſſarias, ſed prodigioſas acceperint inducias: ſed breuitati ſtudens vnum duntaxat exemplum ſubiiciam, ab eadem quæ illas obtinuit nobis diſertè traditum.

N. Coſta Trinitatis Comite in ſupremo agone

conſtituto; Mariam Scarampam eius coniugem iam ſpes tota, nondum tamen cura deſeruerat exanimem, ſcilicet vice mariti, quem Sacramentis immunitum improuida mors opprimebat. Fortè cum per id oppidũ, ſocietas diſciplinatorũ ad ſacram pilam cõtenderet, eius cantus ad Comitiſſæ aures accedentes, gratias è tam vicina Imagine in remotiores quoſq; perpetuo manantes in mentem reuocarunt. Tum prece, qualis inſperato pauentium ſolet, ad Beatam Virginem conuerſa enixè petiit, vt ſi non vitæ, pœnitẽdi ſaltem & ſacramentis ſe muniendi ſpatium viro impetraret: dictu mirabile! qui alienatus à ſenſibus, ac mortuo ſimilis antè iacebat, ipſo momento vxorem aduocat, idque vnum petit, vt quantocius Confeſſarium adducat. Apud quẽ ſtatim, ac ſua peccata mentis benè compos eſt confeſſus, ac cæteris Sacramentis munitus, in illud idem delirium ſeu ſtuporem recidit, ac paulo poſt ex hac vita diſceſſit.

Hæc itaq; ex multis ſelegiſſe ſatis ſit in eorum gratiam, qui longè conſtituti, quam munificam ſe præſtiterit beata Virgo in eos, qui huius Imaginis reſpectu ſe illi deuouerunt, ſcire percupiunt. Illis namque qui ipſam Imaginem præſentes ſalutant, ex tabellarum multitudine facilè erit coniicere, quàm multi non ex iis infirmitatibus modo ſeu periculis emerſerint, ſed plurimas etiam gratias conſecuti fuerint, vt tam ad bona obtinenda, qualis eſt deplorata in coniugibus proles (eam enim rem in primis teſtatam faciũt multiplicia ſigna argentea) quam ad euitanda quæuis incommoda eius interceſſionem ſummæ efficaciæ eſſe appareat. Vndè meritò cecinerit D. Pater Bernardus, vel quiſquis fuerit illius hymni author. *Mala noſtra pelle, bona cuncta poſce.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google